CONSILIUM AD EXSEQUENDAM CONSTITUTIONEM
DE SACRA LITURGIA

Schemata, n. 322

De Breviario, 82

ORDO LECTIONUM BIBLICARUM OFFICII DIVINI

(Manuscripti instar)

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS - MCMLXIX


Universitätsbibliothek * Salzburg

INTRODUCTIO GENERALIS

INTRODUCTIO GENERALIS

A) DE NOVI SCHEMATIS PRAEPARATIONE ET ORDINATIONE GENERALI

I. De lectionum biblicarum systemate nunc vigente

Iam in primo hodierni systematis fonte nobis noto, qui est Ordo Romanus, saec. VII exeunte, uti videtur, pro Basilica Lateranensi scriptus, lectiones e Sacra Scriptura distribuuntur in 67 (vel 68) hebdomadas, cum reapse annus constet solummodo 52 (vel 53) hebdomadis.

Decursu vero saeculorum sequentium:

1. Lectio praevisa pro Quadragesima et pro octavis Paschatis et Pentecostes a medio aevo fere tota deperdita est.

2. Iuxta exemplum Breviariorum Curiae et Fratrum Minorum lectiones breviatae sunt, selectione quasi mechanica, qua fit ut partes magni momenti saepe desint.

3. Cum usque ad reformationem Pii X omnia festa duplicia, exinde festa maiora, lectione biblica propria vel ex Communi Sanctorum desumpta instructa essent, lectio currens usque ad annum 1913 fere omnino omittebatur. Postea vero 78 diebus, post reformationes demum annorum 1953 et 1960, 51 diebus excidit; his tamen addenda sunt festa propria locorum vel Ordinum.

II. Vota circa lectionem biblicam ante Concilium Vaticanum II prolata

1. Opus quod inscribitur « Memoria sulla riforma liturgica », editum a S. Rituum Congregatione (Sectio hist. n. 71, Tip. Poligl. Vaticana 1948) destinatum sodalibus Commissionis quam instituit Pius XII, de nostra re agit pag. 219-253. Declarat « Memoria » generatim desiderari lectiones maioris ambitus ex prophetis et libris sapientialibus, et praesertim lectionem regularem, non uti nunc detruncatam, Epistolarum S. Pauli.

2. Cum annis 1956 et 1957, iubente Pio XII, metropolitae totius Orbis, auditis peritis et suffraganeis consultis, vota circa reformationem Breviarii deprompserint, apparuit commune eorum desiderium, ut lectio biblica Breviarii reformaretur. In specie optaverunt Patres (ex. gr. Card. Feltin, Garrone, Gracias,

Léger, Mimmi, Roncalli), ut selectio aptior fieret ad vitam spiritualem alendam, ut libri prophetici ac sapientiales magna ex parte, Novum Testamentum plus minusve totum (ex.gr. cyclo duorum vel trium annorum) legerentur (cf. S. Rit. Congr., Sectio hist. n. 97, *Memoria sulla riforma liturgica*, Supplemento IV, Tip. Poligl. Vaticana 1957, pag. 23; 71-73; 89; 91; 95 s; 97; 104; 108; 113; 120 s).

3. Eiusdem fere tenoris erant vota (inter tantam rerum molem certe pauciora) Episcoporum, Superiorum religiosorum, Universitatum, Facultatum, ad Ioannem XXIII ad praeparandum Concilium Vaticanum II expressa (cf. *Acta et documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparanda*, Series I [Antepraeparatoria], Appendix voluminis II. Analyticus conspectus consiliorum et votorum quae ab Episcopis et Praelatis data sunt, Pars II, Romae 1961, pag. 318-322: de Novo Testamento cf. nn. 12; 15-17; 23; 24).

III. Statuta Concilii Vaticani II

1. Sacrum Concilium Vaticanum II circa lectiones biblicas in instauratione Officii divini sequentia statuit: « Lectio sacrae Scripturae ita ordinetur, ut thesauri verbi divini in pleniore amplitudine expedite adiri possint » (*Const. De sacra Lit.*, art. 92 a).

« Hora quae Matutinum vocatur... ita accommodetur ut... e psalmis paucioribus lectionibusque longioribus constet » (*Ibidem*, n. 89 c).

2. Ex relatione, quam nomine Commissionis Conciliaris de S. Liturgia Ep. Martin praelegit, apparet Patres in disceptatione schematis de S. Liturgia optavisse, « ut plures paginae Scripturarum legantur quam in hodierno Breviario, et imprimis ut melius seligantur eae paginae quae leguntur. Multi praeterea votum emiserunt, ut pleraeque lectiones e Novo Testamento hauriantur... Sunt denique qui exoptent, ut quaedam libertas relinquatur ei qui Officium privatim dicit, seligendi vel commutandi pericopas Scripturarum a se legendas » (*Schema Const. de S. Lit., Emend.* VIII, 1963, pag. 21).

Praedicta Commissio omnia vota ad instaurationem postconciliarem remittenda esse censuit; solummodo mutavit in art. 92 verba schematis « lectiones S. Scripturae ita distribuantur » in « lectio S. Scripturae ita ordinetur », ea intentione, ut « nulla porta claudatur praedictis desideriis et formula includat etiam lectiones breves et capitula in Horis diurnis occurrentia » (*l.c.*, pag. 21 s). Ad art. 89 Commissio observavit: « Lectiones e Scriptura eo facilius dilatabuntur quo brevior psalmodia facta fuerit » (*l.c.*, pag. 20).

Ex « modis » Patrum ad rem nostram spectantibus unus sonuit: « In hora matutina per decem momenta legatur Novum Testamentum ». Ex responsione ad hunc modum de novo elucet mens Concilii, Officium ita melius disponendum esse, ut hora lectionis praebeat « nutrimentum vitae spiritualis » ac foveat orationem « ex frequentatione Verbi divini » (*Schema Const. de S. Liturgia, Modi* IV, 1963, pag. 13).

IV. Placita «Consilii ad exsequendam Constitutionem de S. Liturgia» et «Synodi Episcoporum»

1. Anno 1964 «Consilium» statuerat: «in distribuendis lectionibus Sacrae Scripturae pars quae Missali tribuitur sive ex Antiquo sive ex Novo Testamento sit pars praestantior et pars quae Breviario assignatur sit quasi huius completiva» (cf. *Notitiae*, vol. 2 [1965] 207). Exinde Coetus a studiis de lectionibus biblicis Officii schema distributionis concretum componere nequivit, antequam lectiones futurae pro Missa selectae fuissent (Cf. Ordo Lectionum Missae, ed. revisa, 1969).

2. Cum mox apparuisset Novum Testamentum quasi per totum in Missis sive dominicalibus sive ferialibus lectum iri, pro Officio lectio tantum Veteris Testamenti remanere videbatur. Quod tamen esset contra vota plurima ante Concilium et in ipso prolata ac contra exspectationem certe multorum, quibus destinatur Breviarium.

Cum praeterea schema lectionum Missae etiam contineat Veteris Testamenti sat magnam partem eamque magis spiritualiter fructuosam, pro Officio distributio satisfaciens impossibilis evaderet, si placitum supra memoratum sustineretur. Accedit, quod pericopa Veteris Testamenti pro Missa facultativa saepe nec in Missa nec — ex supposito — in Officio legeretur.

3. Quaestio ergo de relatione inter lectiones Missae et Officii de novo solvenda erat. «Consilio» igitur in sessione VIII anni 1967 placuit,

a) ut lectiones Officii — de more longiores — ex parte identicae esse possent cum lectionibus — de more brevioribus — quinque serierum Missae, dummodo diverso tempore vel anno legerentur,

b) ut Novum Testamentum exceptis Evangeliis etiam in Officio legeretur,

c) ut praeter cyclum unius anni pro temporibus Adventus, Nativitatis, Epiphaniae, Quadragesimae, Paschatis cyclus duorum annorum pro 34 (vel 33) hebdomadis per annum cum pericopis Veteris et Novi Testamenti instrueretur.

4. «Consilium» diversis in sessionibus de longitudine pericoparum, de omissione singulorum versuum, de mutatione in ordine capitulorum vel librorum, de responsoriis eorumque finalitate principia quaedam approbavit, de quibus infra dicetur.

5. In relatione ad Synodum Episcoporum anni 1967, de lectionibus et responsoriis Horae lectionis declaratum est:

«Distributio lectionum Sacrae Scripturae in 'Officio lectionis' ita componetur, ut simul ratio habeatur de lectionibus in Missa.

Declaratio. Ita cyclus instruetur, ut quotannis totum Novum Testamentum legatur, partim in Missa, partim in Officio, et conspectus praebeatur totius historiae salutis, Vetus vero Testamentum in praecipuis eius partibus duobus annis

legatur. Ratio quoque habebitur de iis temporibus sacris, quae ex traditione venerabili certos libros legendos exigunt (ex gr. Isaiam tempore Adventus) ».

« ... responsoria funditus revidebuntur, seu potius ex novo creabuntur, ut suo muneri in Officio melius respondeant.

Declaratio. Plurima responsoria..., quae in repertorio hodierno continentur, suum saporem perdunt, cum sine cantu et praecipue lingua vernacula proferuntur: ideoque quidam optant suppressionem huiusmodi elementorum. Re vero maturius perpensa, experientiaque ducti Officiorum popularium, immo Officiorum fratrum separatorum, ea retinere placuit, seu potius nova creare quae pietatem et intelligentiam sacrae Scripturae foveant... ».

Haec et alia quae de Hora lectionis proposita sunt, placuerunt 139 Patribus Synodi (non placuerunt 7, placuerunt iuxta modum 28, inter quos modos 10 ad lectionem biblicam pertinebant).

V. De praeparatione schematis lectionum

Statutis Concilii, placitis « Consilii », votis multorum obsequi contendens, Coetus IV, ex exegetis et liturgistis constitutus, sequentibus gressibus schema praesens composuit.

1. In primo stadio laboris unusquisque librorum Veteris Testamenti examinatus est eo fine ut seligerentur pericopae quae ad intellegendam historiam salutis et ad pietatem alendam maioris momenti viderentur. Lectiones ita compositae sunt ut in se cohaereant. Ad nimiam longitudinem vitandam, servata tamen thematica pericopae unitate, aliquot versus interdum omittendi erant. Omissiones autem secundum structuram textus et historiam formationis litterariae factae sunt. Haec abbreviatio saepe per omissionem duplicationum obtinetur, quin tamen secentur textus qui aliquam organicam unitatem efformant. Ut de his omissionibus lector certior fiat, in ipso futuri Breviarii textu numeri versiculorum indicabuntur. Notandum tamen tales incisiones — certo raras et sine normis criticis factas — iam adesse in hodierno Breviario: ex. gr. in Communibus Conf. non Pont., festorum B.M.V., in Officio defunctorum, in festis S. Ioseph, S. Ioannis B., in feria 2 Sexagesimae (*Gen* 7,1-5.10-14,17) etc.

2. In secundo stadio laboris ex pericopis ita selectis facilius apparebat amplitudo plus minusve extensa quae unicuique libro in tota distributione assignanda erat.

3. Tertium stadium fuit divisio pericoparum Novi Testamenti, quod iuxta placitum « Consilii » totum legendum est, exceptis Evangeliis (in lectionnario feriali quotannis lectis) et initio Actuum Apostolorum (1-4,31; fere integre in Missis initii temporis paschalis lecto). Omittuntur etiam quaedam Epistolarum conclusiones, tantum salutationibus et his similibus constantes.

4. In ultimo stadio laboris tota distributio construenda erat in relatione ad ordinem lectionum Missae, ita ut fastidiosae repetitiones vitarentur. Tabella annexa demonstrat relationem inter ambas series biennales Officii et Missae per annum (cf. p. 23).

5. In determinanda pericoparum longitudine principium fundamentale fuit ut servaretur unitas thematica. Unaquaeque nempe lectio sit unitas quaedam, ita ut cum sensu et fructu legi possit, etiamsi interdum series lectionum ob diem festum interrumpi debeat. Plerumque lectiones adaequant ambitum quem habent tres lectiones in Breviario hodierno exstantes.

Extensio lectionis potest tamen uno die longior, altero die brevior esse. Causae huiusmodi variationis sunt sive sensus ipsius textus sive genus litterarium eiusdem. Nec narratio historica nec expositio doctrinae in medio abrumpi debet. Ceterum narrationes vel partes poeticae libentius per tempus longius leguntur, textus vero difficiliores, uti v. gr. Epistolae paulinae, propter densitatem doctrinae, sectiones breviores exigunt.

VI. De Responsoriis

Responsoria hodierni Breviarii a pluribus impugnantur. Dicitur enim Responsorium tantummodo in officio chorali sensum praebere. « Consilium » tamen et Synodus Episcoporum voluerunt ea servare ut elementum meditationis etiam pro recitatione privata.

Remanet difficultas aliorum qui dicunt Responsoria hodierni Breviarii non adimplere functionem meditationis. Quod iure affirmari posse videtur de non paucis Responsoriis traditis. Nam Responsoria quae inter pericopas Novi Testamenti locum habent, paucis libris exceptis, e psalmis seliguntur, sine relatione ad textum lectum. Idem fere dicendum est de Responsoriis quae inter pericopas Veteris Testamenti locum tenent, si nempe ex diversis textibus composita festum aliquod vel tempus liturgicum illustrant. Sed etiamsi Responsoria ex libro qui legitur desumuntur, arbitraria saepe ratione, sine respectu ad partem quae legitur, distributa sunt.

« Consilio » ergo et Synodo Episcoporum placuit reformatio Responsoriorum, ita ut lucem novam afferant ad textum lectum intellegendum, vel lectionem inserant in historiam salutis, vel ex Vetere Testamento ad Novum adducant, vel lectionem in orationem et contemplationem vertant, vel ob pretium poeticum iucundam variationem procurent (Cf. Schema 194, 8 oct. 1966, et Relationem ad Synodum de Breviario, n. 22). Insuper decretum est ut in futuro Breviario unicum tantum Responsorium sequatur lectionem indivisam.

Coetus IV pro viribus his necessitatibus satisfacere studuit. Non pauca certe Responsoria ex hodierno Officio resumpta sunt. Propter vero defectus supra expositos alia Responsoria invenienda erant. Quaedam ideo desumpta sunt, interdum leviter recognita, e Breviariis particularibus, uti Breviario Clu-

niacensi (1679 et 1685) et Breviario Parisiensi (1735). Auctores horum Responsoriorum saepe saepius iisdem principiis generalibus ac Coetus IV ducti erant. Multa tamen Responsoria de novo componenda erant, quia omnino deerant textus apti in diversis traditionibus. Omnia Responsoria Coetui VIII « De cantibus in Officio » submissa sunt.

Responsoria hodierni Breviarii quae ex principiis supra expositis post lectiones biblicas assumi non poterant, post lectionem patristicam magna ex parte introducentur, si apta visa erunt.

VII. De Capitulis seu Lectionibus brevibus

« Consilio » ac Synodo Episcoporum placuit:

« Loco Capituli lectio longior ad libitum praevidetur in Laudibus et in Vesperis, quando illae Horae cum populo celebrantur. Eadem lectio longior adhiberi potest etiam in celebratione sine populo ».

Item placuit « Consilio »

a) ut « non crearetur novus cursus lectionum, sed ut lectio aliunde resumeretur », ex. gr. ex cyclis ferialibus Missae (alterius anni) vel ex Officio lectionis Breviarii;

b) ut, quando lectio longior non adhibetur, servarentur Capitula — recognitioni certe subicienda — seu lectiones breves; quod valet etiam pro Horis minoribus.

Capitula Breviarii Romani in Dominicis et Festis maioribus sumuntur ex lectione Missae, plerumque divisione quasi « mechanice » peracta. Cum in posterum habeantur in Missa cycli duorum vel trium annorum, haec praxis in posterum observanda non erat.

Alia ex parte Capitula ferialia in temporibus «fortibus» vel per annum cotidie, Capitula e Communibus Sanctorum frequenter recurrunt, cum periculo, ut taedium gignant vel propter frequentiam animum non satis percellant.

Ut illi periculo obveniretur, instructae sunt quattuor series hebdomadales Capitulorum, inserendae Psalterio, ita ut cotidie per hebdomadam varietur lectio. Series hebdomadales habentur praeterea pro temporibus Adventus, Nativitatis, Quadragesimae (duae series), Paschatis. Insuper praevidentur Capitula propria pro maioribus festis Sanctorum ac pro Completorio una series hebdomadalis invariabilis.

Ita obtemperare studuimus — etiam quoad Capitula — articulis Constitutionis de sacra Liturgia, quae abundantiorem, variorem et aptiorem lectionem S. Scripturae praescribunt (art. 35 et 92).

Principia generalia selectionis haec sunt:

a) Retenta sunt Capitula hodierna, quando apta videbantur.

b) Electi sunt loci S. Scripturae, qui aliquem conceptum vel monitionem singularem extollunt.

c) Quantum possibile erat, « character » Horarum observatus est.

d) Secundum traditionem Romanam Capitula non sumuntur ex Evangeliis.

e) De more Capitula pro Horis maioribus paululum longiora sunt.

f) Capitula ad Vesperas, cum sequantur canticum Novi Testamenti, ex Novo tantum Testamento selecta sunt.

g) Cum ex Horis minoribus in recitatione privata una tantum remaneat obligatoria, Capitula ad illas Horas eiusdem tenoris vel etiam eiusdem libri biblici de more desumpta sunt.

Pro *Adventu* textus Novi Testamenti assignantur Dominicae et Vesperis feriarum, textus maiorum prophetarum Laudibus, textus Isaiae feriis 2ae, 4ae et sabbato, Ieremiae feriis 3ae et 6ae, minorum prophetarum feria 5ae.

Themata temporis *Nativitatis* usque ad festum Baptismi Domini inclusive erunt plura: impletur exspectatio temporis messianici, mittitur a Patre Filius in mundum, salus proclamatur omnibus gentibus, splendet lumen Dei in tenebris mundi. Textus excellentiores reservati sunt festis ipsis Nativitatis, Epiphaniae et Baptismi Domini.

Pro *Quadragesima* proponuntur duae series, quarum altera, destinata duabus ultimis hebdomadis ante festum Paschatis, correspondet characteri speciali harum hebdomadarum, qui servabitur etiam in Missa et in aliis quibusdam partibus Officii.

Capitula pro prioribus quattuor hebdomadis Quadragesimae de more secundum haec criteria selecta sunt:
ad Laudes de sanctitate populi Dei,
ad Horas minores de paenitentia in genere et de obligatione vitae christianae,
ad Vesperas hortationes ad conversionem.

In 2ª serie, in hebdomada, idem auctor sacer occurrit in omnibus Horis minoribus.

Pro *tempore paschali* selecta sunt Capitula ex Actibus et Epistolis Apostolorum et Apocalypsi, quae mysterium paschale illustrant. Textus maioris momenti inveniuntur in Horis maioribus. Ad Laudes et Tertiam mysterium paschale in genere illustratur, ad Sextam baptismus in specie, ad Nonam vita christiana e baptismo fluens, ad Vesperas sacerdotium Christi et fidelium. Praeterea Dominica themate « tertiae diei », feria 6ª themate passionis specialem colorem accipiunt.

Pro *hebdomadis per annum* selectae sunt quattuor series, quae correspondent quattuor hebdomadis Psalterii. Moles Breviarii exinde non augetur, cum etiam nunc de more, ad maiorem commoditatem, Capitula — etsi omnibus feriis eadem — post psalmos diei imprimantur.

Quia Ecclesia « mysterium paschale... octava quaque die celebrat » (Const.

de S. Liturgia, art. 106), selectio Capitulorum pro Dominica (incipiendo a Vesperis Sabbati) et feria 6ª huius rei rationem habuit.

Capitula ad Horas minores speciale thema habent in feria 3ª (beatitudines), 4ª (de sanctitate), 5ª (de Deo creante).

B) DE LIBRORUM DISTRIBUTIONE SINGULIS ANNI LITURGICI TEMPORIBUS

I. Tempore Adventus

Secundum traditionem antiquam leguntur in Adventu pericopae ex libro Isaiae excerptae. Electi sunt textus ita ut saltem eodem die non repetantur lectiones Missae.

Lectiones libri Isaiae ordinatae sunt nec ordine capitum — qui arbitrarius videtur —, nec ordine chronologico — qui difficulter construi potest —, sed secundum quaedam themata maiora.

1. A dominica I Adventus ad diem 16 decembris haec themata apparent:

a) De iudicio, de die Domini et de paenitentia: initium libri Isaiae (Cap. 1), textus VIII saeculi (Cap. 2 et 10) vel recentiores (Cap. 13-14), vel etiam Apocalypsis Isaiae (Cap. 24-27)

b) Psalmus paenitentialis (Cap. 64-65)

c) Promissiones salutis, ex diversis temporibus, etiam ex libro Michaeae. Cum abrumpatur series post diem 16 decembris, hae pericopae non omnes quotannis leguntur.

2. A die 17 decembris leguntur prophetiae salutis ex Deutero-Isaia excerptae.

II. Tempore Nativitatis

1. Lectio diei 25 decembris est tertia ex lectionibus quae in Breviario romano actuali assignantur.

2. Lectiones 26 decembris (S. Stephani), 27 decembris (S. Ioannis) et 1 ianuarii (Octava Nativitatis Domini, Soll. Sanctae Dei Genetricis Mariae) sunt propriae.

3. A die 28 decembris ad diem 5 ianuarii legitur epistola ad Colossenses. Haec lectio electa est in relatione ad lectiones Missae diei Nativitatis (Hebr 1 et Io 1). Haec enim epistola ducit ad contemplationem Incarnationis in visione totius mysterii Christi et historiae salutis.

4. In festo Epiphaniae Domini (6 ianuarii) necessaria videtur lectio traditionalis: Is 60 (Surge, illuminare, Ierusalem... Omnes de Saba venient).

5. Pro dominica de Baptismate Domini leguntur primus et secundus cantus Servi Dei (Is 42 et 49), ad quos narrationes evangelicae Baptismatis Domini referuntur. Partes quae in Missa ex illis cantibus legentur, non impedire videntur quo minus haec pericopa longior in Officio habeatur.

6. Numerus dierum post Epiphaniam est variabilis, quia hebdomada post dominicam quae sequitur diam 6 ianuarii est prima «per annum». Textus igitur a die 7 ad diem 12 ianuarii praevisi non leguntur omnibus annis. Electae sunt pericopae eschatologicae ex Is 60-66 et ex Baruch desumptae.

III. Tempore Quadragesimae

1. Quattuor primis hebdomadis Quadragesimae praebetur conspectus historiae salutis ex libris Exodi, Levitici et Numerorum secundum traditionem sat universalem olim etiam in liturgia romana vigentem, sicut testantur Ordines romani antiqui 13 et 14 (secundum editionem Andrieu).

2. Ultimis hebdomadis Quadragesimae proponuntur secundum usum antiquum liturgiae romanae, usque nunc in Hebdomada sancta servatum, loci selecti ex Ieremia et ex libro Lamentationum. Ita etiam aliquo modo mentio fit de Passione Domini in hebdomada quae dominicam Palmarum praecedit, sicut in votis Patrum « Consilii » erat.

3. Sabbato Sancto assignatur lectio Oseae, nunc in officio postmeridiano feriae 6^{ae} in Passione Domini, quae in Ordine lectionum Missae non iam aderit. Hoc modo servatur haec prophetia de resurrectione Domini.

IV. Tempore paschali

1. In dominica Paschae, cum « sollemnis Vigiliae paschalis celebratio locum obtineat Officii nocturni » (Rubrica Breviarii romani), lectiones ex ipsa Vigilia resumuntur in Officio ab iis qui Vigiliae non interfuerunt.

2. In octava Paschae, a feria 2 ad sabbatum sequens inclusive, legitur tota epistola prima sancti Petri. Haec enim epistola aptissima his sollemnibus diebus videtur propter indolem paschalem et baptismalem.

3. Pro dominica II Paschae servatur lectio hodierni Breviarii quae indoli baptismali huius dominicae optime respondet.

4. Pro reliquo tempore paschali, excepto festo Ascensionis Domini, legitur liber Actuum Apostolorum, incipiendo a descriptione communitatis primigeniae (Act 4,32 ss). Textus qui praecedunt fere totaliter (paucis versiculis exceptis) in Ordine lectionum Missae occurrunt.

Lectio Actuum Apostolorum tempore paschali traditioni liturgicae univer-

sali tum Occidentis tum Orientis respondet. Ita apparet vita Ecclesiae primaevae, quae quidem ex mysterio paschali Christi suscitati et ad dexteram Dei exaltati exorta est. A capite 4,32 omnia usque ad finem leguntur, exceptis tantummodo 11,5-17 in quibus repetitur narratio praecedens.

5. Pro festo Ascensionis Domini proponitur pericopa ex Eph 4, 1-21 olim in Octava Ascensionis lecta. Ita habetur varietas relate ad lectionem Missae (Act 1,1-14).

6. Pro dominica Pentecostes resumuntur lectiones Vigiliae, sicut fit in Dominica Paschae.

V. Tempore «per annum»

1. Eodem modo ac in Ordine lectionum Missae, hoc tempus ut *series continua* 34 hebdomadarum apparet. Dominicae tamen in ipsa serie includuntur.

a) Lectio continua currit a feria 2 post dominicam Baptismatis Domini.

b) Series interrumpitur a dominica prima Quadragesimae usque ad diem Pentecostes.

c) Feria 2 post dominicam Pentecostes resumitur lectio « per annum » ubi interrupta erat propter occurrentiam dominicae I Quadragesimae. In ista tamen hebdomada lectio dominicae omittitur.

Quando numerantur tantummodo 33 hebdomadae per annum, omittitur hebdomada quae per se incideret immediate post Pentecosten, ita ut ultima hebdomada indolis eschatologicae numquam pereat.

2. De *distributione* librorum in duobus annis:

a) Interruptio temporis per annum ex occurrentia Quadragesimae ab hebdomada 5a ad 9am incidere potest. Quapropter istae hebdomadae ita instruuntur, ut sint aliquo modo autonomae.

b) Cum in Quadragesima legatur historia Exodi, assignatur opportune ante initium Quadragesimae (id est ante hebdomadam 5am) liber Geneseos (anno II). Post Quadragesimam et tempus paschale (id est post hebdomadam 9am) leguntur libri Deuteronomii et Iosue (anno II) necnon Iudicum et Samuelis-Regum (anno I), qui ita locum suum post historiam Exodi (in Quadragesima quotannis lectam) apte acquirunt.

c) Propter indolem eschatologicam ultimarum hebdomadarum temporis per annum, eis destinatae sunt pericopae e libro Danielis (anno I) et Apocalypseos (anno II).

d) Ut habeatur aequilibrium inter lectiones Veteris et lectiones Novi Testamenti, spatia utrique Testamento assignata sunt nec nimis brevia nec nimis longa.

e) Propter momentum Novi Testamenti numerus hebdomadarum in quibus legitur (in anno I duodecim, in anno II quindecim) quasi adaequat nume-

rum hebdomadarum Veteri Testamento assignatarum. Inde sequitur quidem in pericopis Novi Testamenti maior brevitas, quae tamen propter pondus doctrinae opportuna videtur.

f) Libri Veteris Testamenti distribuuntur secundum historiam salutis: Deus seipsum revelat decursu vitae populi qui per gradus successivos ducitur et illuminatur. Ideo prophetae inter libros historicos leguntur in relatione cum tempore in quo vixerunt et docuerunt. Insuper eo modo oracula prophetarum minus narratiunculis referta (« anecdotica ») legenti apparent.

Quapropter in anno I series lectionum Veteris Testamenti (ab hebdomada 9ª) proponet insimul libros historicos et oracula prophetarum a Iudicibus ad scripta recentissima. In anno II inseruntur post lectionem Geneseos libri sapientiales et narrationes didacticae quae magis aedificationem quam historicam veritatem respiciunt.

Forsan quaedam pericopae aut difficiliores aut tempori hodierno minus aptae videbuntur. Electae tamen sunt quia in toto conspectu historiae salutis meliorem intellegentiam Novi Testamenti parant. Haec relatio ad Novum Testamentum illustratur saepius per Responsorium quod lectionem sequitur. Ita facilius evadit meditatio Veteris Testamenti sub lumine adimpletionis in Novo Testamento.

3. De *relatione inter lectiones Officii et lectiones Missae*:

a) In Officio leguntur etiam textus longiores et difficiliores (immo libri integri) qui vix in Missa locum habere possunt.

b) Certe lectiones Missae *in dominicis* magni momenti apparent in vita sacerdotum praesertim propter praeparationem homiliae. Attamen concentus inter lectiones Officii et lectiones Missarum dominicarum impossibilis est. Nam ex una parte in Officio non leguntur Evangelia, ex alia parte in Missis dominicarum leguntur tantummodo parva fragmenta Veteris Testamenti (saepe in relatione ad Evangelium vel ad aliam lectionem Novi Testamenti) et lectio Epistolarum per tot hebdomadas protrahitur, ut lectio eiusdem libri in Officio eiusdem temporis impossibilis evadat. Accedit discrepantia inter cyclum triennalem Missae et biennalem Officii.

c) Concentus lectionum Officii cum lectionibus Missae *in feriis* per annum item impossibilis videtur. Si nempe eodem tempore legerentur in Officio iidem libri ac in Missa, Officium deberet continere aut repetitiones quae taedium parerent, aut tantum pericopas minoris momenti quae insuper inter se vix componi possent.

d) Quapropter separatio inter lectiones Missae et lectiones Officii necessaria videbatur, ita ut, in quantum possibile est, idem liber recurrat in annis diversis in Missa et in Officio, aut saltem pluribus mensibus interiectis si eodem anno legitur.

Haec distributio emolumentum praebet ut fere omnes libri Sacrae Scripturae in uno anno sive in Missa sive in Officio legantur.

C) COMPARATIO INTER LECTIONES BIBLICAS BREVIARII ROMANI ET SCHEMATIS (cf. p. 24-25)

Hic agitur solummodo de quaestione, utrum lectio praevisa in Schemate sit « abundantior » quam hodie, non vero utrum sit etiam « varior et aptior » (Const. de S. Liturgia, Art. 35; cf. 92). Tabula adnexa computat versus singulorum librorum et relationem « percentualem » eorum qui in Breviario et in Schemate offeruntur, exceptis in utroque casu lectionibus legendis in festis maioribus Sanctorum vel ex Proprio vel ex Communi, et exceptis quoque lectionibus brevibus.

I. Ut comparatio recte instituatur, attendendum est ad sequentia:

1. Schema distribuere debuit cyclo biennali lectiones 34 hebdomadarum per annum, si textus maioris momenti omittere et longitudinem aequam transgredi noluit.

2. In Breviario hodierno pars lectionum permagna, id est circa 34-36% (pars quidem variabilis secundum diversos annos), reapse legi non potest, ultimis nempe diebus Adventus, diebus et hebdomadis post Epiphaniam, ultimis diebus mensium Augusti, Septembris, Octobris, Novembris. Abbreviationem vel omissionem patiuntur speciatim libri Paulini et prophetici. Aliae omissiones occurrunt propter lectiones extra cursum in festis maioribus, quae erant numero 78 usque ad annum 1953, ex quibus post reformationem Calendarii annis 1955 et 1960 peractam remanent 51, quibus accedunt festa cum lectionibus biblicis propriis, praescripta in Propriis dioecesium vel Ordinum.

3. Schema vero praesens praevidet paucas tantum pericopas, easque sub hoc respectu electas, quae interdum omitti debent, id est aliquibus diebus post dominicam III Adventus vel inter Epiphaniam et festum Baptismi Domini ac una ex 34 hebdomadis per annum. Dies autem cum lectionibus extra cursum remanent iuxta futurum Calendarium pro universa Ecclesia tantum circiter 30.

II. Novi Testamenti tantum tertia pars in hodierno Breviario offertur, minus quam tertia pars ex Actibus Apostolorum, ex Epistolis ad Romanos, ad Philippenses, prima et secunda ad Timotheum, ad Hebraeos et ex Apocalypsi, in Schemate vero totum fere Novum Testamentum legendum proponitur.

Ex Vetere Testamento nunc omnino desunt 13 libri, inter quos quinque ultimi Heptateuchi, Canticum, Baruch. Ex quibusdam libris invenitur minima, immo derisoria pars, ex. gr. ex Exodo, Ezechiele, Amos, Zacharia. Tertia pars vel paulo plus offertur tantum ex libris primo et quarto Regum, Ecclesiastici, Lamentationum, Abdiae, primo Machabaeorum.

Selectio ex ipsis libris non potest dici bene perpensa. Magis adhuc desiderantur aequilibrium inter ipsa genera librorum et distributio secundum eorum pondus. Sic offeruntur ex Pentateucho tantum 5%, ex aliis libris historicis, ex didacticis et propheticis fere 15%.

Schema vero, selectione sedulo perpensa in ipsis libris, praecellentiam ma-

terialem tribuit prophetis (40,1%), in specie plus quam mediam partem libris Isaiae (53,4%), Lamentationum (52,6%), Ioelis (65,7%), Amos (54,7%), Ionae (83,4%), Michaeae (58,6%), Habacuc (63,4%). Secundo loco quoad ambitum materialem veniunt libri didactici (29%), ex quibus eminent Ecclesiastes (58%), Canticum (84,4%), Sapientia (61,5%). Ex Pentateucho (23,3%) et ceteris libris historicis (23,0%) selecta est pars amplior quam nunc, sed tamen relative minor quam ex libris propheticis et didacticis, vitata praeponderantia hodierna librorum Machabaeorum (33,3 et 28,8%, in Schemate 13,7 et 17,9%).

III. Observare placet principia et solutiones Schematis coincidere quasi per totum cum illis quae Commissio a Pio XII constituta iam anno 1948 proposuit, speciatim de selectione speciali pro temporibus liturgicis maioribus, de serie continua (unica vel duplici) hebdomadarum post Epiphaniam et Pentecosten, de paucis lectionibus extra cursum admittendis pro festis, de longitudine pericoparum (cf. Sacra Rituum Congregatio, S. hist. n. 71, *Memoria sulla riforma liturgica*, Tip. Poligl. Vat. 1948, pag. 236-252).

Quaestiones quae ponuntur peritis in re biblica, liturgica et pastorali, quibus schema sequens mittitur

1. Quid de longitudine pericoparum Veteris et Novi Testamenti?

2. Quid de assignatione librorum Sacrae Scripturae in toto complexu?

3. Quid de aptitudine schematis ad culturam biblicam et ad lectionem divinam fovendam?

4. Quid de relationibus inter diversa systemata lectionum (Officii et Missae) ut supra pag. 17 exponuntur?

5. Quid de Responsoriis?

Qui insuper non consentiat cum uno aliove principio aut eiusdem applicatione enixe rogatur ut propositiones concretas ad schema expoliendum perficiendumque suggerat.

Singulae animadversiones in singulis schedulis scribantur, referendo numerum qui in margine paginae notatur.

Omnia autem mittantur, intra diem 15 maii 1969, ad

Consilium de Sacra Liturgia
Palazzo Santa Marta
00120 Città del Vaticano

ABBREVIATIONES IN HOC VOLUMINE OCCURRENTES

A) Abbreviationes librorum biblicorum

Gen	Genesis
Ex	Exodus
Lev	Leviticus
Num	Numeri
Dt	Deuteronomium
Ios	Iosue
Iudic	Iudicum liber
Ruth	Ruth
1 Sam	1 Samuelis (Vulg.: 1 Regum)
2 Sam	2 Samuelis (Vulg.: 2 Regum)
1 Reg	1 Regum (Vulg.: 3 Regum)
2 Reg	2 Regum (Vulg.: 4 Regum)
1 Chron	1 Chronicarum (Vulg.: 1 Paralipomenon)
2 Chron	2 Chronicarum (Vulg.: 2 Paralipomenon)
Esdr	Esdras (Vulg.: 1 Esdrae)
Neh	Nehemias (Vulg.: 2 Esdrae)
Tob	Tobias
Est	Esther
Idt	Iudith
1 Mach	1 Machabaeorum
2 Mach	2 Machabaeorum
Iob	Iob
Prov	Proverbia
Eccle	Ecclesiastes
Ct	Canticum Canticorum
Sap	Sapientia
Eccli	Ecclesiasticus
Is	Isaias
Ier	Ieremias
Lam	Lamentationes
Bar	Baruch
Ez	Ezechiel
Dan	Daniel
Os	Osee
Ioel	Ioel
Am	Amos
Abd	Abdias
Ion	Ionas

Mich	Michaeas
Nah	Nahum
Hab	Habacuc
Soph	Sophonias
Agg	Aggaeus
Zach	Zacharias
Mal	Malachias
Mt	Evangelium secundum Matthaeum
Mc	Evangelium secundum Marcum
Lc	Evangelium secundum Lucam
Io	Evangelium secundum Ioannem
Act	Actus Apostolorum
Rom	Epistola ad Romanos
1 Cor	Epistola 1 ad Corinthios
2 Cor	Epistola 2 ad Corinthios
Gal	Epistola ad Galatas
Eph	Epistola ad Ephesios
Phil	Epistola ad Philippenses
Col	Epistola ad Colossenses
1 Th	Epistola 1 ad Thessalonicenses
2 Th	Epistola 2 ad Thessalonicenses
1 Tim	Epistola 1 ad Timotheum
2 Tim	Epistola 2 ad Timotheum
Tit	Epistola ad Titum
Philem	Epistola ad Philemonem
Hebr	Epistola ad Hebraeos
Iac	Epistola Iacobi
1 Petr	Epistola 1 Petri
2 Petr	Epistola 2 Petri
1 Io	Epistola 1 Ioannis
2 Io	Epistola 2 Ioannis
3 Io	Epistola 3 Ioannis
Iudae	Epistola Iudae
Ap	Apocalypsis

B) Aliae abbreviationes

Adv.	Adventus
Antiph. Rom.	Antiphonale Romanum
Asc.	Ascensio Domini
Brev.	Breviarium
Ambr.	Ambrosianum
Cisterc.	Cisterciense
Cluniac.	Cluniacense a. 1679 et 1685; aliquoties additur ed. a. 1779
fid.	Bréviaire des fidèles 1952
Maur.	Breviarium Congregationis S. Mauri O. S. B., Budapest 1914
Paris.	Parisiense a. 1735
Rom.	Romanum
C.	Capitulum seu lectio brevis
Cf.	Confer; pro responsoriis indicat quandam mutationem in textu factam esse
Compl.	Completorium
Dom.	Dominica
Epiph.	Epiphania Domini
Fer.	Feria
Hebd.	Hebdomada
L.	Lectio
Laud. vel L.	Laudes
Nat.	Nativitas Domini
Non. vel N.	Nona
Off. rom. ant.	Officium romanum antiquum
Or. Manasse	Oratio Manasse
Pasch.	Pascha
Pent.	Pentecostes
Quadr.	Quadragesima
Sabb.	Sabbatum
Sext. vel S.	Sexta
T. P.	Tempore paschali
Tert. vel T.	Tertia
Vesp. vel V.	Vesperae

Conspectus lectionum tempore «per annum» in Missa et in Officio occurrentium

	Anno I Missa	Anno I Officium	Anno II Missa	Anno II Officium
1	Hebr	Rom	1 Sam	Gen
2			1 2 Sam	
3			2 Sam	
4			2 Sam 1 Reg	1 Tim
5	Gen 1-11	1 Cor	1 Reg 1-16	Prov
6			Iac	Ct
7	Eccli			Eccle
8		1 Cor 2 Tim Philem	1 Petr Iud	Bar Est
9	Tob	Phil	2 Petr 2 Tim	Eccli
10	2 Cor	Iudic	1 Reg 17-22	
11		Ruth 1 Sam	1 2 Reg	Idt
12	Gen 12-50	1 Sam	2 Reg Lam	Iob
13		1 2 Sam	Am	
14		2 Sam 1 Reg	Os Is	Gal
15	Ex	1 Chron 1 Reg	Is Mich	Hebr
16		2 Chron 1 Reg	Mich Ier	
17	Ex Lev	2 Reg 2 Chron	Ier	
18	Num Dt	Eph	Ier Nah Hab	2 Io Tit Iud
19	Dt Ios	Eph Iac	Ez	3 Io 2 Petr
20	Iudic Ruth	Iac		Dt
21	1 Th	Am Os	2 Th 1 Cor	
22	1 Th Col	Os Is 2 Chron	1 Cor	Ios
23	Col 1 Tim	Is Mich 2 Reg		2 Cor
24	1 Tim	Is Soph		
25	Esdr Agg Zach	Soph Ier Nah	Prov Eccle	1 Th
26	Zach Neh Bar	Ier Hab	Iob	Tob
27	Ion Mal Ioel	Ier Ez	Gal	Ioel 2 Th
28	Rom	Ez	Gal Eph	1 Io
29			Eph	Sap
30		Ez Esdr Agg	Eph Phil	
31		Zach Esdr Neh	Phil	Ap
32	Sap	Mal Ion	Tit Philem 2 3 Io	
33	1 2 Mach	1 2 Mach Dan	Ap	
34	Dan			

Comparatio inter lectiones « de tempore » quae in Breviario et in Schemate proponuntur

	Numerus versuum	In Breviario hodierno		In Schemate	
		versus	pars %	versus	pars %
Gen	1532	326	21,3%	434	28,3%
Ex	1212	15	1,2%	329	27,1%
Lev	859	0	0	95	11,1%
Num	1287	0	0	185	14,4%
Dt	956	0	0	318	33,3%
Ios	658	0	0	128	19,4%
Iudic	618	0	0	162	26,2%
Ruth	85	0	0	72	84,7%
1 Sam	811	296	36,5%	276	34%
2 Sam	695	177	25,5%	199	28,6%
1 Reg	817	159	18,2%	263	32,3%
2 Reg	716	234	32,7%	204	28,5%
1 Chron	940	0	0	15	1,6%
2 Chron	822	0	0	208	25,3%
Esdr	280	0	0	195	33,9%
Neh	404	0	0	175	18,5%
Tob	298	58	19,4%	175	58,7%
Idt	343	84	24,5%	142	41,4%
Est	275	77	28%	85	30,9%
1 Mach	929	310	33,3%	127	13,7%
2 Mach	558	161	28,8%	78	17,9%
Iob	1069	207	19,4%	275	25,7%
Prov	916	115	12,6%	183	20,1%
Eccle	217	91	41,9%	126	58%
Ct	116	0	0	98	84,4%
Sap	439	89	20,3%	270	61,5%
Eccli	1592	215	13,4%	298	18,7%
Is	1292	259	20%	690	53,4%
Ier	1364	66	4,8%	363	26,6%
Lam	154	57	37%	81	52,6%
Bar	213	0	0	59	27,7%
Ez	1272	97	6,8%	387	30,4%
Dan	530	93	17,5%	77	14,5%
Os	198	21	10,6%	88	44,4%
Ioel	73	23	31,5%	48	65,7%
Am	137	8	5,8%	75	54,7%
Abd	21	11	52,4%	0	0
Ion	48	12	25%	40	83,4%
Mich	104	9	8,6%	61	58,6%
Nah	47	10	21,3%	18	38,3%

	Numerus versuum	In Breviario hodierno		In Schemate	
		versus	pars %	versus	pars %
Hab	56	10	18,8%	35	63,4%
Soph	53	9	16,9%	27	51%
Agg	38	10	26,3	18	47,3%
Zach	211	6	2,8%	73	34,6%
Mal	55	11	20%	18	32,7%
Act	1005	252	25,1%	841	83,6%
Rom	433	183	42,2%	417	95,6%
1 Cor	437	96	21,9%	437	100%
2 Cor	255	85	33,3%	255	100%
Gal	149	45	30,2%	149	100%
Eph	155	56	36,1%	155	100%
Phil	104	28	26,9%	104	100%
Col	195	34	35,8%	95	100%
1 Th	88	27	30,7%	88	100%
2 Th	46	16	34,9%	46	100%
1 Tim	113	33	29,1%	113	100%
2 Tim	83	26	31,3%	83	100%
Tit	46	27	58,7%	46	100%
Philem	25	19	76%	25	100%
Hebr	303	83	27,3%	303	100%
Iac	108	94	87%	108	100%
1 Petr	105	55	52,4%	105	100%
2 Petr	61	33	54%	61	100%
1 Io	105	55	52,4%	105	100%
2 Io	13	13	100%	13	100%
3 Io	14	14	100%	14	100%
Iudae	25	13	52%	25	100%
Ap	414	112	27%	414	100%
Summae					
Pentateuchus	5846	341	5,8%	1360	23,3%
Ceteri libri historici	9263	1556	16,8%	2137	23,0%
Libri didactici (excepto Psalterio)	4349	717	16,5%	1250	29%
Prophetae	5876	927	15,7%	2354	40,1%
Vetus Testamentum (excepto Psalterio)	25334	3541	13,9%	7101	28%
Novum Testamentum (exceptis Evangeliis)	4182	1399	33,5%	4002	95,7%

CONSPECTUS LECTIONUM BIBLICARUM

I. TEMPORE ADVENTUS

a) Usque ad diem 16 decembris:

Hebdomada I

1	Dom	**Is 1**,2-20	Obiurgatio populi
2	Fer 2	**Is 2**,6-21; **5**,14-16	Iudicium Dei
3	Fer 3	**Is 13**,1-22	Dies Domini
4	Fer 4	**Is 10**,5-22	Dies Domini
5	Fer 5	**Is 14**,1-21	Dies Domini
6	Fer 6	**Is 24**,1-13	Apocalypsis Isaiae
7	Sabb	**Is 25**,1-**26**,6	Apocalypsis Isaiae

Hebdomada II

8	Dom	**Is 26**,7-21; **27**,1-5.12-13	Apocalypsis Isaiae
9	Fer 2	**Is 5**,1-7	Contra vineam Domini
10	Fer 3	**Is 63**,7-19	Deprecatio populi Dei
11	Fer 4	**Is 64**,1-12	Deprecatio populi Dei
12	Fer 5	**Is 1**,21-28; **4**,2-6	Iudicium et salus Ierusalem
13	Fer 6	**Mich 4**,1-7; **5**,1-7	Promissio salutis
14	Sabb	**Is 11**,1-16	Radix Iesse

Hebdomada III

Lectiones huius hebdomadae, quae occurrunt post diem 17 decembris, omittuntur.

15	Dom	**Is 29**,1-10.17-24	Iudicium et salus
16	Fer 2	**Mich 7**,8-20	Promissio salutis
17	Fer 3	**Is 55**,1-4; **57**,14-19	Promissiones Domini
18	Fer 4	**Is 59**,1-20	Paenitentia et salus
19	Fer 5	**Is 32**,1-5; **30**,18-26	Rex iustus et salus populi
20	Fer 6	**Is 32**,15-20; **33**,17-22	Rex iustus et salus populi

b) A die 17 ad 24 decembris:

21	17 dec.	**Is 40**,1-11.27-31	Consolamini
22	18 dec.	**Is 40**,12-26	Exaltatio Dei

23	19 dec. **Is 41**,8-20	Novus Exodus promittitur
24	20 dec. **Is 43**,1-7.16-21	Novus Exodus promittitur
25	21 dec. **Is 45**,1-8.11-13; **46**,8-13	Salus Israel per Cyrum
26	22 dec. **Is 48**,17-21; **49**,9b-13	Novus Exodus
27	23 dec. **Is 49**,14-26	Restitutio Sion nunc miserae
28	24 dec. **Is 51**,1-11.17-23	Restitutio Sion nunc miserae

II. TEMPORE NATIVITATIS

29	25 dec. In Nativitate Domini **Is 52**,1-9	« Videbunt omnes fines terrae salutare Dei nostri »
29a	Dom infra octavam Nativitatis. S. Familiae **1 Petr 3**, 1-17	De vita christiana in familia et in societate
30	26 dec. **Act 6**,8-**7**,1.2a.44-60	Lectio propria S. Stephani
31	27 dec. **1 Io 1**,1-**2**,3	Lectio propria S. Ioannis
32	28 dec. **Ex 1**,8-16.22	Caedes infantium Hebraeorum in Aegypto
33	29 dec. **Col 1**,1-14	Gratiarum actio et precatio
34	30 dec. **Col 1**,15-**2**,3	Christus caput Corporis et salvator. Ministerium Pauli apostoli
35	31 dec. **Col 2**,4-15	Circumcisio nostra in Christo
36	1 ian. **Hebr 2**,9-18	Christus per omnia fratribus similis
37	2 ian. **Col 2**,16-**3**,4	Vita nova in Christo
38	3 ian. **Col 3**,5-16	Vita novi hominis
39	4 ian. **Col 3**,17-**4**,1	Familia christiana
40	5 ian. **Col 4**,2-18	Conclusio epistolae
41	6 ian. In Epiphania Domini **Is 60**,1-22	Revelatio gloriae Domini super Ierusalem

Supervenientibus feriis per annum, lectiones his diebus assignatae omittuntur.

42	7 ian. **Is 54**,1-17	Pactum novum Domini cum Ierusalem
43	8 ian. **Is 61**,1-11	Unctus Domini mittitur
44	9 ian. **Is 62**,1-12	Propinquitas Redemptionis
45	10 ian. **Bar 4**,30-**5**,9	Gaudium Ierusalem novae
46	11 ian. **Is 65**,8-25	Caelum novum et nova terra
47	12 ian. **Is 66**,5-14a.18-23	Salus universa
48	Dom post 6 ian.: In festo Baptismatis Domini **Is 42**,1-8; **49**,1-9	Christus, servus Domini

III. TEMPORE QUADRAGESIMAE

49	Fer 4 Cinerum **Is 58,**1-14	De ieiunio Deo placente
49a	Fer 5 post Cineres **Ex 1,**8-14.22; **2,**1-10	Oppressio Israel et nativitas Moysis
50	Fer 6 post Cineres **Ex 2,**11-25	Fuga Moysis et misericordia Dei in populum
51	Sabb post Cineres **Ex 3,**1-20	Vocatio Moysis et revelatio nominis Domini

HEBDOMADA I

52	Dom **Ex 5,**1-9.15-23; **6,**1	Oppressio populi
53	Fer 2 **Ex 7,**1-6.14-18.20-23; **10,**21-29	Plagae Aegypti
54	Fer 3 **Ex 11,**4-8; **12,**21-34; **13,**3a.11.13b-15	Plagae primogenitorum et celebratio Paschae
55	Fer 4 **Ex 14,**5-10.15-31	Transitus Maris rubri
56	Fer 5 **Ex 16,**2-7.9-16.31-35	Manna
57	Fer 6 **Ex 17,**1-7; **18,**1-12	Aqua de petra. Moyses et Iethro
57a	Sabb **Ex 18,**13-27	Iudices minores constituuntur

HEBDOMADA II

58	Dom **Ex 19,**9-19; **20,**18-21	Apparitio Domini in Sinai et promissio foederis
59	Fer 2 **Ex 19,**20; **20,**1-17	Promulgatio Decalogi
60	Fer 3 **Ex 24,**1-18	Pactio foederis in monte
61	Fer 4 **Ex 32,**1-6.15-34	Vitulus aureus
61a	Fer 5 **Ex 33,**1-17	Profectio; tabernaculum
62	Fer 6 **Ex 33,**18-23; **34,**5-9.29-35	Revelatio Domini in monte
63	Sabb **Lev 8,**1-12; **9,**22-34	Consecratio sacerdotum

HEBDOMADA III

64	Dom **Lev 16,**2-21.29-30	Dies expiationis
65	Fer 2 **Lev 19,**1-4.9-18.29.32-37	Praecepta diversa erga proximum
66	Fer 3 **Lev 25,**1-2a; **26,**3-6.11-13.14-20 27-28.31-33.36.38-42a.45	Benedictiones et maledictiones
67	Fer 4 **Num 3,**5-9; **8,**5-6.15-22; **18,**20-24	Leges de levitis
68	Fer 5 **Num 9,**15-23; **10,**1-3.8-10	Columna nubis
69	Fer 6 **Num 11,**11-12.14-17.24-29; **27,**18-23	Spiritus effunditur super seniores et Iosue
70	Sabb **Num 12,**1-15	Humilitas et excellentia Moysis

Hebdomada IV

71	Dom	**Num 14**,2-24	Murmur populi et intercessio Moysis
72	Fer 2	**Num 16**,1-11.16-24.28-35	Schisma Core
72a	Fer 3	**Num 20**,1-13	De aquis Meriba
73	Fer 4	**Num 20**,22-30; **21**,4-9	Serpens aeneus
74	Fer 5	**Num 22**,1-8.20-35	Baalam et asina
75	Fer 6	**Num 24**,1-19	Oracula Baalam
76	Sabb	**Dt 32**,48-52; **34**,1-12	Mors Moysis

Hebdomada V

77	Dom	**Ier 2**,1-13.20-23.31-32	Infidelitas populi Dei
78	Fer 2	**Ier 2**,1; **3**,1-5.19-25; **4**,1-4	Invitatio ad conversionem
79	Fer 3	**Ier 7**,1-15; **26**,8-11.16-19	Sermo in templo. Minae Iudaeorum
80	Fer 4	**Ier 8**,13-22; **9**,1-2a	Lamentatio de vinea Domini
81	Fer 5	**Ier 25**,15.27-38	Calix furoris Domini
82	Fer 6	**Ier 11**,18-20; **12**,1-4; **17**,14-18; **18**,18-20	Anima prophetae
83	Sabb	**Ier 16**,1-15	Solitudo prophetae

Hebdomada VI (Hebdomada sancta)

84	Dom	**Ier 15**,10-21; **20**,7-13	Anxietates prophetae
85	Fer 2	**Lam 1**,1-12.18-20	Ierusalem desolata
86	Fer 3	**Lam 2**,1-5.13-22	Poena a Domino inflicta agnoscitur
87	Fer 4	**Lam 3**,16-57	Planctus et spes
88	Fer 5 in Cena Domini	**Lam 4**,1-12	Iniquitas et poena populi
89	Fer 6 in Pass Domini	**Lam 5**,1-11.15-17.19-22	Redemptio populi imploratur
90	Sabb sancto	**Os 6**,1-6; **14**,2-10	Die tertia suscitabit nos

VI. TEMPORE PASCHALI

Hebdomada I (Octava Paschae)

91	Dom Paschae		Lectiones selectae e Vigilia
92	Fer 2	**1 Petr 1**,1-16	Salutatio et gratiarum actio
93	Fer 3	**1 Petr 1**,17-2,10	Vigilantia; caritas; vita nova

94	Fer 4 **1 Petr 2**,11-25	Obligationes discipulorum Christi
95	Fer 5 **1 Petr 3**	Obligationes discipulorum Christi
96	Fer 6 **1 Petr 4**	Obligationes discipulorum Christi. De Parusia
97	Sabb **1 Petr 5**	Hortationes ad seniores et ad fideles

HEBDOMADA II

98	Dom **Col 3**,1-17	Vita nova
99	Fer 2 **Act 4**,32-**5**,16	Prima communitas christiana; Ananias et Saphira
100	Fer 3 **Act 5**,17-42	Apostoli coram synedrio
101	Fer 4 **Act 6**,1-15	Institutio diaconorum. Stephanus
102	Fer 5 **Act 7**,1-16	Sermo Stephani
103	Fer 6 **Act 7**,17-43	Sermo Stephani
104	Sabb **Act 7**,44-**8**,3	Sermo Stephani et martyrium eius

HEBDOMADA III

105	Dom **Act 8**,4-25	Philippus diaconus in Samaria. Simon Magus
106	Fer 2 **Act 8**,26-40	Philippus diaconus baptizat eunuchum
107	Fer 3 **Act 9**,1-22	Vocatio Sauli
108	Fer 4 **Act 9**,23-43	Saulus in Ierusalem. Miracula Petri
109	Fer 5 **Act 10**,1-33	Petrus in domo Cornelii
110	Fer 6 **Act 10**,34-**11**,4.18	Sermo Petri in domo Cornelii; Petrus in Ierusalem
111	Sabb **Act 11**,19-30	Fundatio Ecclesiae Antiochenae. Bernabas et Saulus in Ierusalem

HEBDOMADA IV

112	Dom **Act 12**,1-23	Petrus in carcere ab Angelo liberatur
113	Fer 2 **Act 12**,24-**13**,14a	Missio Pauli et Barnabae

114	Fer 3	**Act 13,**14b-43	Sermo Pauli in synagoga Antiochiae Pisidiae
115	Fer 4	**Act 13,**44-**14,**6	Paulus et Barnabas alloquuntur gentes
116	Fer 5	**Act 14,**7-**15,**4	Paulus Lystris
117	Fer 6	**Act 15,**5-35	Controversiae et concilium in Ierusalem
118	Sabb	**Act 15,**36-**16,**15	Initium secundi itineris Pauli

Hebdomada V

119	Dom	**Act 16,**16-40	Difficultas Pauli Philippis
120	Fer 2	**Act 17,**1-18	Paulus Athenis
121	Fer 3	**Act 17,**19-34	Sermo Pauli in Areopago
122	Fer 4	**Act 18,**1-28	Paulus Antiochiae. Initium tertii itineris
123	Fer 5	**Act 19,**1-20	Paulus Ephesi
124	Fer 6	**Act 19,**21-40	Seditio Ephesi
125	Sabb	**Act 20,**1-16	Paulus in Macedonia

Hebdomada VI

126	Dom	**Act 20,**17-38	Paulus Mileti
127	Fer 2	**Act 21,**1-26	Iter ad Ierusalem
128	Fer 3	**Act 21,**27-40a	Comprehensio Pauli
129	Fer 4	**Act 21,**40-**22,**21	Apologia Pauli
130	Fer 5	In Asc. Domini **Eph 4,**1-21	« Ascendens in altum, captivam duxit captivitatem »
131	Fer 6	**Act 22,**22-**23,**11	Paulus coram synedrio
132	Sabb	**Act 23,**12-35	Iudaeorum conspiratio adversus Paulum

Hebdomada VII

133	Dom	**Act 24,**1-27	Paulus coram Felice
134	Fer 2	**Act 25,**1-27	Paulus coram Agrippa
135	Fer 3	**Act 26,**1-32	Sermo Pauli et dialogus cum Agrippa
136	Fer 4	**Act 27,**1-20	Iter maritimum
137	Fer 5	**Act 27,**21-44	Iter maritimum
138	Fer 6	**Act 28,**1-14	Iter versus Romam
139	Sabb	**Act 28,**15-31	Paulus Romae
140	Dom	Pentecostes **Rom 8,**2-27	Vita in Spiritu

V. TEMPORE « PER ANNUM »

Hebd. 1 per annum I

141	Fer 2	**Rom 1,**1-17	Salutatio et gratiarum actio
142	Fer 3	**Rom 1,**18-32	Ira Dei contra impios
143	Fer 4	**Rom 2,**1-16	Iustum iudicium Dei
144	Fer 5	**Rom 2,**17-29	Israelis inobedientia
145	Fer 6	**Rom 3,**1-20	Omnes sunt sub peccato
146	Sabb	**Rom 3,**21-31	Iustitia quae a fide procedit

Hebd. 2 per annum I

147	Dom	**Rom 4,**1-25	Fides Abrahae imputatur ad iustitiam
148	Fer 2	**Rom 5,**1-11	Homo iustificatur et salvatur per Christum
149	Fer 3	**Rom 5,**12-23	Antiquus et novus Adam
150	Fer 4	**Rom 6,**1-11	Baptizati Christo configurantur
151	Fer 5	**Rom 6,**12-23	Serviendum iustitiae
152	Fer 6	**Rom 7,**1-13	Iugum legis
153	Sabb	**Rom 7,**14-25	Servus peccati

Hebd. 3 per annum I

154	Dom	**Rom 8,**1-17	Spiritu liberati
155	Fer 2	**Rom 8,**18-39	Gloria futura
156	Fer 3	**Rom 9,**1-18	Israelis electio et peccatum
157	Fer 4	**Rom 9,**19-33	Libera omnipotentia Creatoris
158	Fer 5	**Rom 10,**1-21	Unus Dominus Iudaeorum et Gentium
159	Fer 6	**Rom 11,**1-12	Deus Israelem non reiecit
160	Sabb	**Rom 11,**13-24	Israel manet ut radix sancta

Hebd. 4 per annum I

161	Dom	**Rom 11,**25-36	Israelis futura conversio
162	Fer 2	**Rom 12,**1-21	Vita nova in cultu spirituali
163	Fer 3	**Rom 13,**1-14	Subiectio temporalibus potestatibus. Dilectio mutua et vigilantia
164	Fer 4	**Rom 14,**1-19	Indulgentia fortium erga infirmos
165	Fer 5	**Rom 15,**1-13	« Suscipite invicem, sicut et Christus suscepit vos. »
166	Fer 6	**Rom 15,**14-33	Ministerium et proposita Apostoli
167	Sabb	**Rom 16,**16-27	Salutationes et doxologia

Hebd. 5 per annum I

168	Dom	**1 Cor 1,**1-17	Prooemium. Divisio inter fideles
169	Fer 2	**1 Cor 1,**18-**2,**5	Stultitia crucis, sapientia Dei
170	Fer 3	**1 Cor 2,**6-**3,**9a	Sapientia a Spiritu Dei revelata
171	Fer 4	**1 Cor 3,**9b-**4,**5	Regni Dei aedificatio et apostolorum munus
172	Fer 5	**1 Cor 4,**6-21	Paterna monita erga Corinthiorum superbiam
173	Fer 6	**1 Cor 5,**1-13	Damnatio fornicatoris
174	Sabb	**1 Cor 6,**1-20	De vitae ratione fidelium

Hebd. 6 per annum I

175	Dom	**1 Cor 7,**1-24	Quaestiones de matrimonio
176	Fer 2	**1 Cor 7,**25-40	Virginitas et matrimonium
177	Fer 3	**1 Cor 8,**1-**9,**2	Escae quae idolis immolantur
178	Fer 4	**1 Cor 9,**3-23	Libertas et caritas apostoli
179	Fer 5	**1 Cor 9,**24-**10,**14	Cavendum ab idololatria
180	Fer 6	**1 Cor 10,**15-**11,**1	Mensa Domini et mensa daemoniorum
181	Sabb	**1 Cor 11,**2-16	Mulieres in fidelium congregatione

Hebd. 7 per annum I

182	Dom	**1 Cor 11,**17-34	Cena Domini
183	Fer 2	**1 Cor 12,**1-27	Spiritualia dona in unitate corporis Christi
184	Fer 3	**1 Cor 12,**28-**13,**13	Caritas charismatum culmen
185	Fer 4	**1 Cor 14,**1-19	« Orabo spiritu, orabo et mente »
186	Fer 5	**1 Cor 14,**20-40	Regulae de charismatibus in fidelium congregatione
187	Fer 6	**1 Cor 15,**1-19	Resurrectio Christi spes fidelium
188	Sabb	**1 Cor 15,**20-38	Resurrectio mortuorum et adventus Domini

Hebd. 8 per annum I

189	Dom	**1 Cor 15,**39-58	Resurrectio in novissimo die
190	Fer 2	**1 Cor 16,**1-24	Monita diversa et salutationes
191	Fer 3	**2 Tim 1,**1-18	Paulus Timotheum hortatur, ut sit fortis in munere
Ecce venio ut congregem omnes gentes et linguas: * Et venient et videbunt gloriam meam et annuntiabunt eam gentibus. ℣. Manifestavi nomen tuum hominibus quos dedisti mihi de mundo: sicut tu me misisti, et ego misi eos. * Et venient.

[Cf. Brev. Paris.]

48 Dominica post diem 6 ianuarii. In festo Baptismatis Domini

LECTIO **Is 42**,1-8; **49**,1-9 *Christus, Servus Domini*

RESPONSORIUM **Mt 3**,16-17; **Lc 3**,22

Hodie in Iordane baptizato Domino aperti sunt caeli, et sicut columba super eum Spiritus mansit, et vox Patris intonuit: * Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. ℣. Descendit Spiritus Sanctus corporali specie sicut columba in ipsum, et vox de caelo fata est: * Hic.

[Brev. Rom.]

III. TEMPORE QUADRAGESIMAE

49 Feria 4 Cinerum

LECTIO **Is 58,**1-14 *De ieiunio Deo placente*

RESPONSORIUM **Is 58,**7.8

Frange esurienti panem tuum, et egenos vagosque induc in domum tuam: * Tunc erumpet quasi mane lumen tuum, et anteibit faciem tuam iustitia tua. ℣. Cum videris nudum, operi eum, et carnem tuam ne despexeris. * Tunc erumpet.

[Brev. Rom.]

49a Feria 5 post Cineres

LECTIO **Ex 1,**8-14.22; **2,**1-10 *Oppressio Israël et nativitas Moysis*

RESPONSORIUM **Dan 9,**18-19a

Inclina, Deus meus, aurem tuam, et audi; aperi oculos tuos et vide desolationem nostram; * Neque enim in iustificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis. ℣. Exaudi, Domine; placare, Domine; attende et fac; ne moreris propter temetipsum, Deus meus. * Neque enim.

50 Feria 6 post Cineres

LECTIO **Ex 2,**11-25 *Fuga Moysis et misericordia Dei in populum*

RESPONSORIUM **Hebr 11,**24-26a

Fide Moyses grandis factus negavit se esse filium filiae Pharaonis, * Magis eligens affligi cum populo Dei quam temporalis peccati habere iucunditatem. ℣. Maiores divitias aestimabat thesauro Aegyptiorum improperium Christi. * Magis.

51 **Sabbato post Cineres**

LECTIO **Ex 3**,1-20 *Vocatio Moysis et revelatio nominis Domini*

RESPONSORIUM **Is 43**,10-11

Vos testes mei, dicit Dominus, et servus quem elegi; ut sciatis et credatis mihi et intelligatis. * Quia ego ipse sum; ante me non est formatus Deus, et post me non erit. ℣. Ego sum, ego sum Dominus et non est absque me Salvator. * Quia ego.

HEBDOMADA I

52 **Dominica**

LECTIO **Ex 5**,1-9.15-23; **6**,1 *Oppressio populi*

RESPONSORIUM **Hebr 11**,27; **Eccli 45**,3.4

Fide reliquit Moyses Aegyptum non veritus animositatem regis. * Invisibilem Deum tamquam videns sustinuit. ℣. Glorificatus est a Deo in conspectu regum, in fide et lenitate sanctificatus est. * Invisibilem.

53 **Feria 2**

LECTIO **Ex 7**,1-6.14-18.20-23; **10**,21-29 *Plagae Aegypti*

RESPONSORIUM **Apoc 16**,4-7

Angelus effudit phialam suam super flumina et super fontes aquarum; et factus est sanguis. Et audivi angelum dicentem: Iustus es, Domine, et sanctus, qui haec iudicasti: * Quia sanguinem sanctorum et prophetarum effuderunt et sanguinem eis dedisti bibere. ℣. Et audivi alterum Angelum ab altari dicentem: Etiam, Domine, Deus omnipotens, vera et iusta iudicia tua. * Quia.

54 **Feria 3**

LECTIO **Ex 11**,4-8; **12**,21-34; **13**,3a.11.13b-15 *Plaga primogenitorum et celebratio Paschae*

RESPONSORIUM **Ex 12**,3.6.5

Decima die mensis huius tollat unusquisque agnum per familias et domos suas et servabitis eum usque ad quartam deci-

mam diem; * Immolabitque eum universa multitudo filiorum Israël ad vesperam. ℣. Erit autem agnus absque macula, masculus, anniculus. * Immolabitque.

[Cf. Brev. Cluniac. 1779]

55 **Feria 4**

LECTIO **Ex 14**,5-10.15-31 *Transitus Maris rubri*

RESPONSORIUM **Ex 15**,1.11.13

Cantemus Domino; gloriose enim magnificatus est, equum et ascensorem deiecit in mare. * Quis similis tui in fortibus, Domine, quis similis tui, magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis, faciens mirabilia. ℣. Dux fuisti in misericordia populo quem redemisti; et portasti eum in fortitudine tua ad habitaculum sanctum tuum. * Quis.

56 **Feria 5**

LECTIO **Ex 16**,2-7.9-16.31-35 *Manna*

RESPONSORIUM **Sap 16**,20; **Ps 77**,23-24

Angelorum esca nutrivisti populum tuum; et paratum panem de caelo praestitisti illis sine labore, * Omne delectamentum in se habentem et omnis saporis suavitatem. ℣. Mandavit Dominus nubibus desuper et pluit illis manna ad manducandum; panem caeli dedit eis, * Omne delectamentum.

57 **Feria 6**

LECTIO **Ex 17**,1-7; **18**,1-12 *Aqua de petra. Moyses et Iethro*

RESPONSORIUM **Is 12**,3-4; **Io 4**,14

Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris, * Et dicetis in die illa: Confitemini Domino et invocate nomen eius. ℣. Aquam quam ego dabo vobis, fiet in vobis fons aquae salientis in vitam aeternam. * Et dicetis.

57a **Sabbato**

LECTIO **Ex 18,**13-27 *Iudices minores constituuntur*

RESPONSORIUM **Act 6,**3; **Ex 18,**21

Considerate viros boni testimonii septem, plenos Spiritu Sancto et sapientia quos constituamus super hoc opus; * Nos vero orationi et ministerio verbi instantes erimus. ℣. Providete de plebe viros potentes et timentes Deum et constituamus eos ad hoc opus. * Nos vero.

HEBDOMADA 2

58 **Dominica**

LECTIO **Ex 19,**9-19; **20,**18-21 *Apparitio Domini in Sina et promissio foederis*

RESPONSORIUM **Ps 96,**1.2.3.4.6; **Mt 17,**5

Dominus regnavit: exsultet terra; nubes et caligo in circuitu eius; ignis ante ipsum praecedet; illuxerunt fulgura eius orbi terrae. * Annuntiaverunt caeli iustitiam eius, et viderunt omnes populi gloriam eius. ℣. Nubes lucida obumbravit eos; et ecce vox de nube dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui; ipsum audite. * Annuntiaverunt.

59 **Feria 2**

LECTIO **Ex 19,**20; **20,**1-17 *Promulgatio Decalogi*

RESPONSORIUM **Ps 18,**8.9; **Rom 13,**8.10

Lex Domini immaculata, convertens animas; testimonium Domini fidele, sapientiam praestans parvulis. * Iustitiae Domini rectae, laetificantes corda; praeceptum Domini lucidum, illuminans oculos. ℣. Qui diligit proximum, legem implevit; plenitudo legis est dilectio. * Iustitiae.

60 **Feria 3**

LECTIO **Ex 24,**1-18 *Pactio foederis in monte*

RESPONSORIUM **Ex 19,**5-6; **1 Petr 2,**9

Si audieritis vocem meam et custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis: * Et eritis mihi in regnum sacerdotale et gens sancta. ℣. Vos genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis. * Et eritis.

61 **Feria 4**

LECTIO **Ex 32**,1-6.15-34 *Vitulus aureus*

RESPONSORIUM **Ps 105**,20-22; **Rom 1**,21.23

Mutaverunt gloriam Domini in similitudinem vituli comedentis foenum; * Obliti sunt Deum qui salvavit eos, qui fecit magnalia in Aegypto, terribilia in Mari Rubro. ℣. Obscuratum est insipiens cor eorum; mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis. * Obliti sunt.

61a **Feria 5**

LECTIO **Ex 33**,1-17 *Profectio*; *Tabernaculum*

RESPONSORIUM **Eccli 45**,5; **Act 7**,38

Audivit Deus Moysen et vocem ipsius et induxit illum in nubem. * Et dedit illi coram praecepta et legem vitae et disciplinae, docere Iacob testamentum suum et iudicia sua Israel. ℣. Hic est qui fuit in ecclesia in solitudine cum angelo, qui loquebatur ei in monte Sina. * Et dedit.

[Brev. Maur.]

62 **Feria 6**

LECTIO **Ex 33**,18-23; **34**,5-9; 29-35 *Revelatio Domini in monte*

RESPONSORIUM **Io 1**,17-18; **2 Cor 3**,18

Lex per Moysen data est, gratia et veritas per Iesum Christum facta est. * Deum nemo vidit umquam; unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit. ℣. Nos vero omnes revelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur, a claritate in claritatem. * Deum.

63 **Sabbato**

LECTIO **Lev 8**,1-12; **9**,22-24 *Consecratio sacerdotum*

RESPONSORIUM **Hebr 7**,23-24; **Eccli 45**,7-8

Plures facti sunt sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere; * Christus autem eo quod maneat in aeternum, sempiternum habet sacerdotium. ℣. Excelsum fecit Dominus Aaron, et dedit illi sacerdotium gentis, et beatificavit eum in gloria. * Christus.

HEBDOMADA 3

64 **Dominica**

LECTIO **Lev 16,**2-21.29-30 *Dies expiationis*

RESPONSORIUM **Hebr 9,**11-12.24

Christus assistens pontifex futurorum bonorum, non per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem * Introivit semel in sancta, aeterna redemptione inventa. ℣. Non in manufacta sancta Iesus introivit, sed in ipsum caelum. * Introivit.

65 **Feria 2**

LECTIO **Lev 19,**1-4.9-18.29.32-37 *Praecepta diversa erga proximum*

RESPONSORIUM **Gal 5,**14.13; **Io 13,**34

Omnis lex in uno sermone impletur: Diliges proximum tuum sicut teipsum; * Per caritatem Spiritus servite invicem. ℣. Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos, ut et vos diligatis invicem. * Per.

66 **Feria 3**

LECTIO **Lev 25,**1-2a; **26,**3-6.11-13.14-20.27-28.31-33.36.38-42a.45 *Benedictiones et maledictiones*

RESPONSORIUM **Ps 33,**17.16; **Ap 22,**12

Vultus Domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum; * Oculi Domini super iustos, et aures eius in preces eorum. ℣. Ecce venio cito, dicit Dominus, et merces mea mecum est: reddere unicuique secundum opera sua. * Oculi.

67 **Feria 4**

LECTIO **Num 3,**5-9; **8,**5-6.15-22; **18,**20-24 *Leges de Levitis*

RESPONSORIUM **Ps 15,**6.5; **Num 18,**20

Funes ceciderunt mihi in praeclaris, etenim hereditas mea praeclara est mihi: * Dominus pars hereditatis meae et calicis mei. ℣. Dixit Dominus ad Aaron: In terra eorum nihil possidebis, nec habebis partem inter eos; ego pars et hereditas tua. * Dominus.

68 **Feria 5**

LECTIO **Num 9**,15-23; **10**,1-3.8-10 *Columna nubis*

RESPONSORIUM **Neh 9**,12; **Is 4**,5

In columna nubis ductor fuit Dominus per diem et in columna ignis per noctem, * Ut appareret via, per quam ingrediebantur. ℣. Creavit Dominus nubem per diem et splendorem ignis flammantis in nocte. * Ut.

69 **Feria 6**

LECTIO **Num 11**,11-12.14-17.24-29; **27**,18-23 *Spiritus effunditur super seniores et Iosue*

RESPONSORIUM **Ioel 2**,28-29; **Act 1**,8

Effundam spiritum meum super omnem carnem; et prophetabunt filii vestri et filiae vestrae; * In diebus illis effundam spiritum meum. ℣. Accipietis virtutem Spiritus Sancti, et eritis mihi testes usque ad ultimum terrae. * In diebus illis.

70 **Sabbato**

LECTIO **Num 12**,1-15 *Humilitas et excellentia Moysis*

RESPONSORIUM **Hebr 3**,5-6; **Eccli 45**,1-4

Moyses fidelis erat in tota domo Dei tamquam famulus; * Christus vero tamquam filius in domo sua: quae domus sumus nos. ℣. Dilectus Deo et hominibus Moyses, cuius memoria in benedictione est; in fide et lenitate ipsius sanctum fecit illum. * Christus.

HEBDOMADA 4

71 **Dominica**

LECTIO **Num 14**,2-24 *Murmur populi et intercessio Moysis*

RESPONSORIUM **Ps 102**,8-9.13-14

Miserator et misericors Dominus; longanimis et multum misericors non in perpetuum irascetur, neque in aeternum comminabitur. * Et quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se. ℣. Ipse cognovit figmentum nostrum; recordatus est quoniam pulvis sumus. * Et quomodo.

6

72 **Feria 2**

LECTIO **Num 16**,1-11.16-24.28-35 *Schisma Core*

RESPONSORIUM **Iudae** 5.11.4

Dominus populum de terra Aegypti salvans, secundo eos qui non crediderunt perdidit. * Vae illis qui in via Cain abierunt, et in contradictione Core perierunt. ℣. Subintroierunt quidam homines impii, solum Dominatorem et Dominum nostrum Iesum Christum negantes. * Vae.

72a **Feria 3**

LECTIO **Num 20**,1-13 *De aquis Meriba*

RESPONSORIUM **Num 20**,6; **Ps 77**,16; **Io 4**,15.13

Domine Deus, audi clamorem huius populi; educ aquam de petra et deduc tamquam flumina aquas. * Aperi thesaurum tuum, fontem aquae vivae. ℣. Domine, da mihi hanc aquam ut non sitiam in aeternum. * Aperi.

73 **Feria 4**

LECTIO **Num 20**,22-30; **21**,4-9 *Serpens aeneus*

RESPONSORIUM **Io 3**,14.15.16

Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, * Ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam aeternam. ℣. Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret. * Ut omnis.

74 **Feria 5**

LECTIO **Num 22**,1-8.20-35 *Balaam et asina*

RESPONSORIUM **Ez 13**,9.3

Erit manus mea super prophetas qui vident vana et divinant mendacium: * In consilio populi mei non erunt et in scriptura domus Israël non scribentur. ℣. Vae prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum et nihil vident. * In consilio.

75 **Feria 6**

LECTIO **Num 24**,1-19 *Oracula Balaam*

RESPONSORIUM **Num 24**,17-18; **Ps 71**,11

Orietur stella ex Iacob, et exsurget homo de Israël * Et erit omnis terra possessio eius. ℣. Adorabunt eum omnes reges terrae, omnes gentes servient ei. * Et erit.

76 **Sabbato**

LECTIO **Dt 32**,48-52; **34**,1-12 *Mors Moysis*

RESPONSORIUM **Dt 18**,18; **Io 7**,18

Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum et ponam verba mea in ore eius; * Loquetur ad eos omnia quae praecepero illi. ℣. Qui a semetipso loquitur, gloriam suam quaerit: qui quaerit gloriam eius qui misit eum, hic verax est. * Loquetur.

HEBDOMADA 5

77 **Dominica**

LECTIO **Ier 2**,1-13.20-23.31-32 *Infidelitas populi Dei*

RESPONSORIUM **Ier 2**,21; **Mt 21**,43; **Is 5**,7

Ego plantavi te vineam electam, omne semen verum; quomodo ergo conversa est mihi in pravum, vinea aliena? * Ideo auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus eius. ℣. Exspectavi iudicium, et ecce iniquitas; iustitiam, et ecce clamor; * Ideo.

[Brev. Cluniac.]

78 **Feria 2**

LECTIO **Ier 2**,1; **3**,1-5.19-25; **4**,1-4 *Invitatio ad conversionem*

RESPONSORIUM **Ier 14**,7; **Ps 129**,3

Si iniquitates nostrae responderint nobis, Domine, fac propter nomen tuum; * Quoniam multae sunt aversiones nostrae, tibi peccavimus. ℣. Si iniquitates observaveris, Domine, quis sustinebit? * Quoniam.

79 **Feria 3**

LECTIO **Ier 7**,1-15; **26**,8-11.16-19 *Sermo in templo. Minae Iudaeorum*

RESPONSORIUM **Ier 7**,11; **Is 56**,7; **Io 2**,16

Numquid spelunca latronum facta est domus ista in qua invocatum est nomen meum? * Domus mea domus orationis vocabitur omnibus populis. ℣. Nolite facere domum Patris mei domum negotiationis. * Domus mea.

80 **Feria 4**

LECTIO **Ier 8**,13-22; **9**,1-2a *Lamentatio de vinea Domini*

RESPONSORIUM **Ier 12**,10; **9**,1

Pastores multi demoliti sunt vineam meam, conculcaverunt partem meam, * Dederunt portionem meam desiderabilem in desertum solitudinis. ℣. Quis dabit oculis meis fontem lacrimarum, et plorabo die ac nocte interfectos filiae populi mei? * Dederunt.

81 **Feria 5**

LECTIO **Ier 25**,15.27-38 *Calix furoris Domini*

RESPONSORIUM **Ap 16**,1; **Rom 1**,18; **Ps 74**,9

Audivi vocem magnam de templo dicentem: Ite et effundite septem phialas irae Dei in terram. * Revelatur enim ira Dei de caelo, super omnem impietatem et iniustitiam hominum. ℣. Calix in manu Domini vini meri, plenus misto, et inclinavit ex hoc in hoc; bibent omnes peccatores terrae. * Revelatur.

82 **Feria 6**

LECTIO **Ier 11**,18-20; **12**,1-4; **17**,14-18; **18**,18-20 *Anima prophetae*

RESPONSORIUM **Io 12**,27-28; **Ps 41**,6

Nunc anima mea turbata est; et quid dicam? Pater salvifica me ex illa hora, sed propterea veni in horam hanc; * Pater, clarifica nomen tuum. ℣. Quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me? * Pater.

83 **Sabbato**

LECTIO **Ier 16,**1-15 *Solitudo prophetae*

RESPONSORIUM **Io 16,**20; **Mt 9,**15

Plorabitis et flebitis vos, mundus autem gaudebit; vos contristabimini, * Sed tristitia vestra vertetur in gaudium. ℣. Venient dies cum auferetur a vobis sponsus, et tunc ieiunabitis. * Sed tristitia.

HEBDOMADA SANCTA

84 **Dominica in palmis de Passione Domini**

LECTIO **Ier 15,**10-21; **20,**7-13 *Anxietates prophetae*

RESPONSORIUM **Mt 23,**37; **Ier 19,**15

Ierusalem, quae occidis prophetas et lapidas eos qui ad te missi sunt. * Quoties volui congregare filios tuos, et noluisti. ℣. Indurasti cervicem tuam, ut non audires sermones meos. * Quoties volui.

85 **Feria 2**

LECTIO **Lam 1,**1-12.18-20 *Ierusalem desolata*

RESPONSORIUM **Iob 16,**17; **Lam 1,**16.18.12

Caligaverunt oculi mei a fletu meo: quia elongatus est a me, qui consolabatur me. Videte omnes populi, * Si est dolor similis sicut dolor meus. ℣. O vos omnes qui transitis per viam, attendite et videte, * Si est.

[Brev. Rom.]

86 **Feria 3**

LECTIO **Lam 2,**1-5.13-22 *Poena a Domino inflicta agnoscitur*

RESPONSORIUM **Lam 2,**18

Ierusalem, surge et exue te vestibus iucunditatis: induere cinere et cilicio, * Quia in te occisus est Salvator Israël. ℣. Deduc quasi torrentem lacrimas per diem et noctem, et non taceat pupilla oculi tui. * Quia in te.

[Brev. Rom.]

87 **Feria 4**

LECTIO **Lam 3,16-57** *Planctus et spes*

RESPONSORIUM **Is 57,1; 53,7**

Ecce quomodo moritur iustus, et nemo percipit corde: et viri iusti tolluntur, et nemo considerat: a facie iniquitatis sublatus est iustus: * Et erit in pace memoria eius. ℣. Tamquam agnus coram tondente se obmutuit, et non aperuit os suum: de angustia, et de iudicio sublatus est. * Et erit.

[Brev. Rom.]

88 **Feria 5 in Cena Domini**

LECTIO **Lam 4,1-12** *Iniquitas et poena populi*

RESPONSORIUM **Lam 1,12**

O vos omnes qui transitis per viam, attendite et videte, * Si est dolor similis sicut dolor meus. ℣. Attendite, universi populi, et videte dolorem meum, * Si est.

[Brev. Rom.]

89 **Feria 6 in Passione Domini**

LECTIO **Lam 5,1-11.15-17.19-22** *Redemptio populi imploratur*

RESPONSORIUM **Ioel 1,8 Ier 25,34; Soph. 1,14; Ioel 1,13**

Plange quasi virgo, plebs mea: ululate, pastores, in cinere et cilicio: * Quia venit dies Domini magna et amara valde. ℣. Accingite vos, sacerdotes, et plangite, ministri altaris, aspergite vos cinere. * Quia.

[Brev. Rom.]

90 **Sabbato sancto**

LECTIO **Os 6,1-6; 14,2-10** *Die tertia suscitabit nos*

RESPONSORIUM

Recessit pastor noster, fons aquae vivae, ad cuius transitum sol obscuratus est: * Nam et ille captus est, qui captivum tenebat primum hominem: hodie portas mortis et seras pariter Salvator noster disrupit. ℣. Destruxit quidem claustra inferni, et subvertit potentias diaboli: * Nam.

[Brev. Rom.]

IV. TEMPORE PASCHALI

OCTAVA PASCHAE

91 **Dominica Paschae**

Lectiones et responsoria, seu psalmi responsorii, selecta e Vigilia.

92 **Feria 2**

LECTIO **1 Petr 1**,1-16 *Salutatio et gratiarum actio*

RESPONSORIUM **1 Petr 1**,3.13

Benedictus Deus et Pater Domini nostri Iesu Christi, qui secundum misericordiam suam magnam regeneravit nos in spem vivam, * Per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis, alleluia, alleluia. ℣. Succincti lumbos mentis vestrae, sobrii, perfecte sperate in eam quae offertur vobis gratiam. * Per resurrectionem.

93 **Feria 3**

LECTIO **1 Petr 1**,17-**2**,10 *Vigilantia*; *caritas*; *vita nova*

RESPONSORIUM **1 Petr 2**,5-9

Tamquam lapides vivi superaedificamini, domus spiritualis, sacerdotium sanctum, * Offerre spirituales hostias, acceptabiles Deo per Iesum Christum, alleluia, alleluia. ℣. Vos genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis. * Offerre.

94 **Feria 4**

LECTIO **1 Petr 2**,11-25 *Obligationes discipulorum Christi*

RESPONSORIUM **1 Petr 2**,21.24

Christus passus est pro nobis, nobis relinquens exemplum, * Ut sequamur vestigia eius, alleluia, alleluia. ℣. Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo, ut peccatis mortui, iustitiae vivamus. * Ut sequamur.

95

Feria 5

LECTIO **1 Petr 3** *Obligationes discipulorum Christi*

RESPONSORIUM **1 Petr 3,18.22**

Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustis, ut nos offerret Deo, * Mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu, alleluia, alleluia. ℣. Qui est in dextera Dei, deglutiens mortem, ut vitae aeternae nos faceret heredes. * Mortificatus.

96

Feria 6

LECTIO **1 Petr 4** *Obligationes discipulorum Christi. De Parusia*

RESPONSORIUM **1 Petr 4,13; Lc 6,22**

Communicantes Christi passionibus gaudete, * Ut in revelatione gloriae eius, gaudeatis exsultantes, alleluia, alleluia. ℣. Beati eritis, cum vos oderint homines propter Filium hominis. * Ut in.

97

Sabbato

LECTIO **1 Petr 5** *Hortationes ad seniores et ad fideles*

RESPONSORIUM **1 Petr 5,2-4; Act 20,28**

Pascite qui in vobis est gregem Dei, forma facti gregis ex animo: * Et cum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriae coronam, alleluia, alleluia. ℣. Attendite universo gregi in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei. * Et.

HEBDOMADA 2

98

Dominica 2 Paschae

LECTIO **Col 3,1-17** *Vita nova*

RESPONSORIUM **Col 3,1.2.3**

Si consurrexistis cum Christo, quae sursum sunt quaerite, ubi Christus est in dextera Dei sedens: * Quae sursum sunt sapite, non quae super terram, alleluia, alleluia. ℣. Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo. * Quae.

[Brev. Cisterc.]

99 **Feria 2**

LECTIO **Act 4,32-5,16** *Prima communitas christiana*; *Ananias et Saphira*

RESPONSORIUM **Act 4,33.31**

Virtute magna reddebant Apostoli, * Testimonium resurrectionis Iesu Christi Domini nostri, alleluia, alleluia. ℣. Repleti quidem Spiritu Sancto loquebantur cum fiducia verbum Dei. * Testimonium.

[Brev. Rom.]

100 **Feria 3**

LECTIO **Act 5,17-42** *Apostoli coram Synedrio*

RESPONSORIUM **Act 13,29-30; Is 53,8**

Principes Ierusalem, cum consummassent omnia quae de Iesu scripta erant, deponentes eum de ligno, posuerunt eum in monumento: * Deus vero suscitavit eum a mortuis, alleluia, alleluia. ℣. De angustia et de iudicio sublatus est; abscissus est de terra viventium. * Deus vero.

101 **Feria 4**

LECTIO **Act 6,1-15** *Institutio diaconorum. Stephanus*

RESPONSORIUM **Act 6,3.6; Num 8,5.6.10.21**

Consideraverunt viros boni testimonii septem, plenos Spiritu Sancto et sapientia; * Et orantes imposuerunt eis manus, alleluia, alleluia. ℣. Locutus est Dominus ad Moysen: Tolle Levitas de medio filiorum Israël. * Et orantes.

102 **Feria 5**

LECTIO **Act 7,1-16** *Sermo Stephani*

RESPONSORIUM **Act 18,24-25; 6,8**

Potens in Scripturis erat edoctus viam Domini; et fervens Spiritu loquebatur, * Et docebat diligenter ea quae sunt Iesu, alleluia, alleluia. ℣. Stephanus plenus gratia et fortitudine faciebat prodigia et signa magna in populo, * Et docebat.

[Cf. Brev. Paris.]

103 **Feria 6**

LECTIO **Act 7**,17-43 *Sermo Stephani*

RESPONSORIUM **Act 7**,31.32.34

Facta est ad Moysen vox Domini, dicens: * Ego sum Deus patrum tuorum, Deus Abraham, Deus Isaac et Deus Iacob, alleluia, alleluia. ℣. Vidi afflictionem populi mei, et descendi liberare eos. * Ego sum.

104 **Sabbato**

LECTIO **Act 7**,44-**8**,3 *Sermo Stephani et martyrium eius*

RESPONSORIUM **Act 7**,58-59; **Lc 23**,34

Lapidabant Stephanum invocantem et dicentem: Domine Iesu, accipe spiritum meum. * Ne statuas illis hoc peccatum. ℣. Iesus autem dicebat: Pater, dimitte illis: non enim sciunt quid faciunt. * Ne.

HEBDOMADA 3

105 **Dominica 3 Paschae**

LECTIO **Act 8**,4-25 *Philippus diaconus in Samaria. Simon Magus*

RESPONSORIUM **Mt 10**,8.7

Dixit Iesus discipulis suis: Infirmos curate, mortuos suscitate, * Gratis accepistis, gratis date, alleluia, alleluia. ℣. Euntes praedicate dicentes: Quia appropinquavit regnum caelorum. * Gratis.

106 **Feria 2**

LECTIO **Act 8**,26-40 *Philippus diaconus baptizat eunuchum*

RESPONSORIUM **Is 53**,7.12; **Ps 21**,28

Sicut ovis ad occisionem ductus est et non aperuit os suum, * Traditus est ad mortem ut vivificaret populum suum, alleluia, alleluia. ℣. Convertentur ad Dominum universi fines terrae et adorabunt in conspectu eius universae familiae gentium. * Traditus est.

107 **Feria 3**

LECTIO **Act 9**,1-22 *Vocatio Sauli*

RESPONSORIUM **Gal 1**,15-16; **Is 49**,1

Segregavit me Deus ex utero matris meae et vocavit per gratiam suam, ut revelaret Filium suum in me, * Ut evangelizarem illum in gentibus, alleluia, alleluia. ℣. Dominus ab utero vocavit me, de ventre matris meae recordatus est nominis mei. * Ut.

108 **Feria 4**

LECTIO **Act 9**,23-43 *Saulus in Ierusalem. Miracula Petri*

RESPONSORIUM **Io 14**,12-13

Si credideritis in me. * Opera quae ego facio et ipsi facietis, alleluia, alleluia. ℣. Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo hoc faciam, ut glorificetur Pater in Filio. * Opera.

109 **Feria 5**

LECTIO **Act 10**,1-33 *Petrus in domo Cornelii*

RESPONSORIUM **Mt 8**,10-11

Dixit Iesus: Amen dico vobis: * Non inveni tantam fidem in Israël, alleluia, alleluia. ℣. Multi ab Oriente et Occidente venient, et recumbent cum Abraham, Isaac et Iacob in regno caelorum: * Non.

110 **Feria 6**

LECTIO **Act 10**,34-**11**,4.18 *Sermo Petri in domo Cornelii. Petrus in Ierusalem*

RESPONSORIUM **Act 10**,44.45; **15**,8

Cecidit Spiritus sanctus super omnes qui audiebant verbum. * Et in nationes gratia Spiritus sancti effusa est, alleluia, alleluia. ℣. Qui novit corda Deus testimonium perhibuit, dans illis Spiritum sanctum. * Et in nationes.

111 **Sabbato**

LECTIO **Act 11**,19-30 *Fundatio Ecclesiae Antiochenae. Barnabas et Saulus in Ierusalem*

RESPONSORIUM **Act 11**,20-21; **4**,33

Annuntiaverunt Dominum Iesum et erat manus Domini cum eis, * Multus autem numerus credentium conversus est ad Dominum, alleluia, alleluia. ℣. Virtute magna reddebant Apostoli testimonium resurrectionis Iesu Christi, Domini nostri. * Multus.

HEBDOMADA 4

112 **Dominica 4 Paschae**

LECTIO **Act 12**,1-23 *Petrus in carcere ab angelo liberatur*

RESPONSORIUM **Act 12**,7-8

Surge, Petre, et indue te vestimentis tuis, accipe fortitudinem ad salvandas gentes: * Quia ceciderunt catenae de manibus tuis, alleluia, alleluia. ℣. Angelus Domini astitit et lumen refulsit in habitaculo carceris, percussoque latere Petri excitavit eum, dicens: Surge velociter. * Quia.

[Brev. Rom.]

113 **Feria 2**

LECTIO **Act 12**,24-**13**,14a *Missio Pauli et Barnabae*

RESPONSORIUM **Act 13**,2; **Io 15**,16

Ministrantibus illis Domino, dixit illis Spiritus Sanctus: * Segregate mihi Saulum et Barnabam in opus ad quod assumpsi eos, alleluia, alleluia. ℣. Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, dicit Dominus. * Segregate.

114 **Feria 3**

LECTIO **Act 13**,14b-43 *Sermo Pauli in synagoga Antiochiae Pisidiae*

RESPONSORIUM **Act 13**,32.33; **Idt 13**,18

Quae ad patres nostros repromissio facta est, hanc Deus adimplevit filiis nostris. * Resuscitans Iesum, alleluia, alleluia. ℣. Dominus Deus noster adimplevit misericordiam suam quam promisit domui Israël. * Resuscitans.

[Brev. Paris.]

115 **Feria 4**

LECTIO **Act 13,44-14,6** *Paulus et Barnabas alloquuntur gentes*

RESPONSORIUM **Rom 11,25-26; Ps 105,24-25**

Caecitas ex parte contigit in Israël, * Donec plenitudo gentium intraret, et sic omnis Israël salvus fieret, alleluia, alleluia. ℣. Non crediderunt verbo eius et non audierunt vocem Domini. * Donec.

116 **Feria 5**

LECTIO **Act 14,7-15,4** *Paulus Lystris*

RESPONSORIUM **1 Thess 1,9-10**

Convertimini ad Deum a simulacris, * Servire Deo vivo et vero, alleluia, alleluia. ℣. Exspectantes Filium eius de caelis, quem suscitavit a mortuis, Iesum qui eripuit nos ab ira ventura. * Servire.

117 **Feria 6**

LECTIO **Act 15,5-35** *Controversiae et concilium in Ierusalem*

RESPONSORIUM **Gal 3,6-8**

Abraham credidit Deo et reputatum est illi ad iustitiam. * Qui ex fide sunt, ii sunt filii Abrahae, alleluia, alleluia. ℣. Praenuntiavit Deus Abrahae, quia benedicentur in eo omnes gentes. * Qui.

118 **Sabbato**

LECTIO **Act 15,36-16,15** *Initium secundi itineris Pauli*

RESPONSORIUM **1 Tim 2,4.5; Act 16,5**

Omnes homines vult Deus salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire: * Unus enim Deus, unus et Mediator Dei et hominum, alleluia, alleluia. ℣. Visio per noctem Paulo ostensa est: vir Macedo deprecans eum dicens: Transiens in Macedoniam adiuva nos. * Unus enim.

HEBDOMADA 5

119 **Dominica 5 Paschae**

LECTIO **Act 16,**16-40 *Difficultas Pauli Philippis*

RESPONSORIUM **Act 16,**30-31; **Io 6,**29

Quid me oportet facere ut salvus fiam? * Crede in Dominum Iesum et salvus eris tu et domus tua, alleluia, alleluia. ℣. Hoc est opus Dei, ut credant homines in eum quem misit ille. * Crede.

120 **Feria 2**

LECTIO **Act 17,**1-18 *Paulus Athenis*

RESPONSORIUM **Act 17,**2.3; **Lc 24,**46.45

Disserebat Paulus in synagoga de Scripturis, adaperiens et insinuans * Quia Christum oportuit pati et resurgere a mortuis, alleluia, alleluia. ℣. Aperuit Dominus sensum ut intelligerent Scripturas. * Quia.

121 **Feria 3**

LECTIO **Act 17,**19-34 *Sermo Pauli in Areopago*

RESPONSORIUM **Act 17,**31; **Ps 97,**9

Statuit Deus diem in quo iudicaturus est orbem in aequitate, * In viro quem statuit, suscitans eum a mortuis, alleluia, alleluia. ℣. Iudicabit orbem terrarum in iustitia, et populos in aequitate. * In viro.

122 **Feria 4**

LECTIO **Act 18,**1-28 *Paulus Antiochiae. Initium tertii itineris*

RESPONSORIUM **Act 18,**9-10; **Ex 4,**12

Dixit Dominus per visionem Paulo: Noli timere, * Loquere et ne taceas, propter quod ego tecum sum, alleluia, alleluia. ℣. Ego ero in ore tuo, doceboque te quid loquaris. * Loquere.

123 **Feria 5**

LECTIO **Act 19**,1-20 *Paulus Ephesi*

RESPONSORIUM **Act 2**,4; **19**,6

Repleti sunt omnes Spiritu sancto et coeperunt loqui, * Prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis, alleluia, alleluia. ℣. Cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus sanctus super eos et loquebantur linguis et prophetabant. * Prout.

124 **Feria 6**

LECTIO **Act 19**,21-40 *Seditio Ephesi*

RESPONSORIUM **2 Cor 1**,8-9

Nolumus vos ignorare de tribulatione nostra quae facta est in Asia; * Sed non fuimus fidentes in nobis, sed in Deo qui suscitat mortuos, alleluia, alleluia. ℣. Supra modum gravati sumus, supra virtutem. * Sed.

125 **Sabbato**

LECTIO **Act 20**,1-16 *Paulus in Macedonia*

RESPONSORIUM **Act 2**,46; **20**,7

Frangentes circa domos panem * Sumebant cibum cum exsultatione et simplicitate cordis, alleluia, alleluia. ℣. Una sabbati convenerunt ad frangendum panem. * Sumebant.

HEBDOMADA 6

126 **Dominica 6 Paschae**

LECTIO **Act 20**,17-38 *Paulus Mileti*

RESPONSORIUM **Act 20**,28; **1 Cor 4**,2

Attendite universo gregi in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos * Regere Ecclesiam Dei quam Deus acquisivit sanguine Filii sui, alleluia, alleluia. ℣. Quaeritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur. * Regere.

127 **Feria 2**

LECTIO **Act 21**,1-26 *Iter ad Ierusalem*

RESPONSORIUM **Act 21**,13: **Col 1**,24

Ego paratus sum non solum alligari, sed et mori in Ierusalem, * Propter nomen Domini Iesu, alleluia, alleluia. ℣. Adimpleo in carne mea ea quae desunt passionum Christi, pro corpore eius quod est Ecclesia. * Propter.

128 **Feria 3**

LECTIO **Act 21**,27-40a *Comprehensio Pauli*

RESPONSORIUM **2 Cor 4**,11; **Rom 8**,36 (= **Ps 43**,22)

Nos qui vivimus, in mortem tradimur propter Iesum, * Ut vita Iesu manifestetur in carne nostra mortali, alleluia, alleluia. ℣. Propter illum mortificamur tota die, aestimati sumus sicut oves occisionis. * Ut vita.

129 **Feria 4**

LECTIO **Act 21**,40b-**22**,21 *Apologia Pauli*

RESPONSORIUM **Act 22**,14-15; **Gal 1**,15-16

Deus patrum nostrorum praeordinavit me ut cognoscerem voluntatem eius, * Ero testis illius ad omnes homines eorum quae vidi et audivi, alleluia, alleluia. ℣. Placuit ei qui me vocavit per gratiam suam ut evangelizarem Filium suum in gentibus. * Ero.

130 **Feria 5. In Ascensione Domini**

LECTIO **Eph 4**,1-21 « *Ascendens in altum, captivam duxit captivitatem* »

RESPONSORIUM **Ps 67**,19; **46**,6

Ascendens Christus in altum, captivam duxit captivitatem, * Dedit dona hominibus, alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Ascendit Deus in iubilatione, et Dominus in voce tubae. * Dedit.

[Brev. Rom.]

131 **Feria 6**

LECTIO **Act 22,22-23,11** *Paulus coram synedrio*

RESPONSORIUM **Act 23,11; 26,18**

Dixit Dominus: Constans esto; sicut testificatus es de me in Ierusalem, * Sic te oportet et Romae testificari, alleluia, alleluia. ℣. Ut accipiant remissionem peccatorum, et sortem inter sanctos per fidem quae est in me. * Sic te.

132 **Sabbato**

LECTIO **Act 23,12-35** *Iudaeorum conspiratio adversus Paulum*

RESPONSORIUM **Mt 10,18-20**

Dum steteritis ante reges et praesides, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini: * Dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini, alleluia, alleluia. ℣. Non enim vos estis qui loquimini; sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis. * Dabitur.

[Brev. Rom.]

HEBDOMADA 7

133 **Dominica 7 Paschae**

LECTIO **Act 24,1-27** *Paulus coram Felice*

RESPONSORIUM **Io 5,28-29; Act 24,14-15**

Venit hora, in qua omnes qui in monumentis sunt audient vocem Filii Dei: * Et procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitae, alleluia, alleluia. ℣. Deservio Patri et Deo meo, sperans in resurrectionem iustorum et iniquorum. * Et procedent.

134 **Feria 2**

LECTIO **Act 25,1-27** *Paulus coram Agrippa*

RESPONSORIUM **1 Cor 15,14.20.19**

Si Christus non resurrexit, inanis est praedicatio nostra. * Nunc autem Christus resurrexit a mortuis, primitiae dormientium, alleluia, alleluia. ℣. Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus. * Nunc autem.

135 **Feria 3**

LECTIO **Act 26,**1-32 *Sermo Pauli et dialogus cum Agrippa*

RESPONSORIUM **Act 26,**16.18; **Gal 2,**7.8

Constitui te ministrum et testem, aperire oculos gentium, ut convertantur a tenebris ad lucem. * Ut accipiant remissionem peccatorum, et sortem inter sanctos per fidem quae est in Christum alleluia, alleluia. ℣. Sicut Petro evangelium inter circumcisos, sic et Paulo creditum est evangelium inter gentes. * Ut accipiant.

136 **Feria 4**

LECTIO **Act 27,**1-20 *Iter maritimum Pauli*

RESPONSORIUM **Mt 8,**24-26

Ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus. * Tunc surgens Iesus imperavit ventis et mari et facta est tranquillitas magna, alleluia, alleluia. ℣. Dixerunt discipuli: Domine, salva nos, perimus. * Tunc.

137 **Feria 5**

LECTIO **Act 27,**21-44 *Iter maritimum Pauli*

RESPONSORIUM **Ps 106,**25.28.31

Dixit Dominus, et stetit spiritus procellae, et exaltati sunt fluctus maris: * Clamaverunt ad Dominum cum tribularentur, et de necessitatibus eduxit eos, alleluia, alleluia. ℣. Confiteantur Domino misericordiae eius, et mirabilia eius filios hominum. * Clamaverunt.

138 **Feria 6**

LECTIO **Act 28,**1-14 *Iter versus Romam*

RESPONSORIUM **Mc 16,**15-18

Ite in universum orbem, et praedicate Evangelium, alleluia. * Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit, alleluia, alleluia, alleluia. ℣. In nomine meo daemonia eicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent. * Qui.

[Brev. Rom.]

139 **Sabbato**

LECTIO **Act 28,**15-31 *Paulus Romae*

RESPONSORIUM **Act 2,**39; **28,**28

Vobis est repromissio et filiis vestris et omnibus qui longe sunt * Quoscumque advocaverit Dominus Deus noster, alleluia, alleluia. ℣. Notum sit vobis quoniam ad omnes populos missum est hoc salutare Dei. * Quoscumque.

---

140 **Dominica Pentecostes**

LECTIO **Rom 8,**2-27 *Vita in Spiritu*

RESPONSORIUM **Gal 4,**6; **2 Tim 1,**7

Quoniam estis filii, misit Deus * Spiritum Filii sui in corda vestra clamantem: Abba, Pater, alleluia, alleluia. ℣. Non dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis et dilectionis et sobrietatis: * Spiritum.

[Brev. Maur.]

V. TEMPORE «PER ANNUM»

HEBDOMADA 1 PER ANNUM I

141 **Feria 2**

LECTIO **Rom 1**,1-17 *Salutatio et gratiarum actio*

RESPONSORIUM **Rom 3**,24; **5**,1

Iustificati sumus gratis per redemptionem quae est in Christo Iesu, * Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius. ℣. Iustificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Iesum Christum. * Quem

[Cf. Brev. Cluniac.]

142 **Feria 3**

LECTIO **Rom 1**,18-32 *Ira Dei contra impios.*

RESPONSORIUM **Rom 1**,20; **Sap 13**,5.1

Invisibilia Dei per ea quae facta sunt intellecta conspiciuntur. * A magnitudine enim creaturae cognoscibiliter poterit creator horum videri. ℣. Vani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei. * A magnitudine.

143 **Feria 4**

LECTIO **Rom 2**,1-16 *Iustum iudicium Dei*

RESPONSORIUM **Rom 2**,4-5; **Eccli 16**,15

An divitias bonitatis eius contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad paenitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam et impaenitens cor, thesaurizas tibi iram * In die iusti iudicii Dei. ℣. Omnis misericordia faciet locum unicuique secundum meritum operum suorum. * In die.

[Brev. Cluniac.]

144 **Feria 5**

LECTIO **Rom 2,17-19** *Israelis inobedientia*

RESPONSORIUM **Rom 2,28-29**

Non quae in manifesto, in carne, est circumcisio; sed circumcisio cordis in spiritu, non littera: * Cuius laus non ex hominibus, sed ex Deo. ℣. Non qui in manifesto Iudaeus est, sed qui in abscondito. * Cuius.

[Brev. Cluniac.]

145 **Feria 6**

LECTIO **Rom 3,1-20** *Omnes sunt sub peccato*

RESPONSORIUM **Ps 52,3-4; Rom 3,23.10**

Deus de caelo prospexit super filios hominum, ut videat si est intelligens aut requirens Deum. * Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum. ℣. Omnes peccaverunt et egent gloria Dei, sicut scriptum est: Quia non est iustus quisquam, * Omnes.

[Cf. Brev. Cluniac.]

146 **Sabbato**

LECTIO **Rom 3,21-31** *Iustitia quae a fide procedit*

RESPONSORIUM **Rom 3,24.25; 5,10**

Iustificati sumus gratis per gratiam Dei per redemptionem quae est in Christo Iesu * Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius. ℣. Cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii eius. * Quem.

HEBDOMADA 2 PER ANNUM I

147 **Dominica**

LECTIO **Rom 4,1-25** *Fides Abrahae imputatur ad iustitiam*

RESPONSORIUM **Hebr 11,17.19; Rom 4,17**

Fide obtulit Abraham Isaac cum tentaretur et unigenitum offerebat qui susceperat repromissiones, * Arbitrans quia et a mortuis suscitare potens est Deus. ℣. Credidit ei qui vocat ea quae non sunt tanquam ea quae sunt, * Arbitrans.

[Brev. Cluniac.]

148 **Feria 2**

LECTIO **Rom 5**,1-11 *Homo iustificatur et salvatur per Christum*

RESPONSORIUM **Rom 5**,8.9

Commendat caritatem suam Deus in nobis; * Quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus Christus pro nobis mortuus est. ℣. Multo magis nunc iustificati in sanguine ipsius salvi erimus ab ira per ipsum. * Quoniam.

[Cf. Brev. Rom.]

149 **Feria 3**

LECTIO **Rom 5**,12-21 *Antiquus et novus Adam*

RESPONSORIUM **Rom 5**,20.21.19

Ubi abundavit delictum, superabundavit gratia, * Ut sicut regnavit peccatum in mortem, ita et gratia regnet per iustitiam in vitam aeternam. ℣. Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita et per unius obeditionem iusti constituentur multi. * Ut.

[Brev. Cluniac.]

150 **Feria 4**

LECTIO **Rom 6**,1-11 *Baptizati Christo configurantur*

RESPONSORIUM **Rom 6**,4; **Gal 3**,27

Consepulti sumus cum Christo per baptismum in mortem, * Ut quomodo surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus. ℣. Quicumque in Christo baptizati sumus, Christum induimus. * Ut quomodo.

[Cf. Brev. Cluniac.]

151 **Feria 5**

LECTIO **Rom 6**,12-23 *Serviendum iustitiae*

RESPONSORIUM **Rom 6**,22.16

Liberati a peccato, servi autem facti Deo, * Habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam aeternam. ℣. Servi estis eius cui obeditis, sive peccati ad mortem, sive obeditionis ad iustitiam. * Habetis fructum.

[Cf. Brev. Cluniac. 1779]

152 **Feria 6**

LECTIO **Rom 7,**1-13 *Iugum legis*

RESPONSORIUM **Rom 7,**6; **5,**5

Soluti sumus a lege mortis in qua detinebamur. * Serviamus in novitate spiritus et non in vetustate litterae. ℣. Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis. * Serviamus.

[Cf. Brev. Cluniac.]

153 **Sabbato**

LECTIO **Rom 7,**14-25 *Servus peccati*

RESPONSORIUM **Gal 5,**18.22.25

Si Spiritu ducimini, non estis sub lege. * Fructus autem Spiritus est: caritas, gaudium, pax. ℣. Si Spiritu vivimus, Spiritu et ambulemus, * Fructus autem.

[Cf. Brev. Cluniac.]

HEBDOMADA 3 PER ANNUM I

154 **Dominica**

LECTIO **Rom 8,**1-17 *Spiritu liberati*

RESPONSORIUM **Rom 8,**3.4; **Is 53,**7.11.12

Deus Filium suum misit in similitudinem carnis peccati et de peccato damnavit peccatum in carne, * Ut iustificatio Legis impleretur in nobis. ℣. Oblatus est, iustificavit ipse Iustus multos et ipse peccata multorum tulit; * Ut.

[Brev. Paris.]

155 **Feria 2**

LECTIO **Rom 8,**18-39 *Gloria futura*

RESPONSORIUM **Rom 8,**26; **Zach 12,**9.10

Spiritus adiuvat infirmitatem nostram: nam quid oremus, sicut oportet, nescimus; * Ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. ℣. In die illa, dicit Dominus, effundam super domum David et super habitatores Ierusalem Spiritum gratiae et precum. * Ipse.

[Brev. Paris.]

156 **Feria 3**

LECTIO **Rom 9**,1-18 *Israëlis electio et peccatum*

RESPONSORIUM **Rom 9**,4.8.6

Israëlitarum adoptio est filiorum et gloria et testamentum et obsequium et promissa, * Sed qui filii sunt promissionis aestimantur in semine. ℣. Non omnes qui ex Israël sunt, ii sunt Israëlitae, * Sed.

157 **Feria 4**

LECTIO **Rom 9**,19-33 *Libera omnipotentia Creatoris*

RESPONSORIUM **Os 2**,23.24; **Rom 9**,23.25

Miserebor eius quae fuit absque misericordia: * Dicam non populo meo: Populus meus es tu; et ipse dicet: Deus meus es tu. ℣. Ut ostenderet Deus divitias gloriae suae vocavit nos, sicut in Osee dicit: * Dicam.

[Brev. Cluniac. 1779]

158 **Feria 5**

LECTIO **Rom 10**,1-21 *Unus Dominus Iudaeorum et Gentium*

RESPONSORIUM **Rom 10**,12-13; **15**,8-9

Idem Dominus omnium, dives in omnes qui invocant illum; * Omnis enim quicumque invocaverit nomen Domini salvus erit. ℣. Dico Christum Iesum ministrum fuisse circumcisionis ad confirmandas promissiones patrum; gentes autem super misericordia honorare Deum: * Omnis.

[Cf. Brev. Cluniac.]

159 **Feria 6**

LECTIO **Rom 11**,1-12 *Deus Israëlem non reicit*

RESPONSORIUM **Rom 11**,5.7.8; **Io 12**,41

Reliquiae Israël secundum electionem gratiae salvae factae sunt; ceteri vero excaecati sunt, sicut scriptum est: * Dedit illis Deus spiritum compunctionis; oculos ut non videant et aures ut non audiant. ℣. Haec dicit Isaias quando vidit gloriam Christi et locutus est de eo, * Dedit.

[Brev. Cluniac.]

160 **Sabbato**

LECTIO **Rom 11,13-24** *Israelem manet ut radix sancta*

RESPONSORIUM **Rom 11,23; 2 Cor 3,16**

Iudaei, si non permanserint in incredulitate, inserentur. * Potens est enim Deus iterum inserere illos. ℣. Cum conversi fuerint ad Dominum, auferetur velamen a cordibus eorum. * Potens.

HEBDOMADA 4 PER ANNUM I

161 **Dominica**

LECTIO **Rom 11,25-36** *Israelis futura conversio*

RESPONSORIUM **Rom 11,33; Ps 88,3**

O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei! * Quam incomprehensibilia sunt iudicia eius et investigabiles viae eius. ℣. In aeternum misericordia aedificabitur in caelis, praeparabitur veritas Domini in eis: * Quam.

162 **Feria 2**

LECTIO **Rom 12,1-21** *Vita nova in cultu spirituali*

RESPONSORIUM **Rom 12,2; Eph 4,23-24**

Reformamini in novitate spiritus vestri, * Ut probetis quae sit voluntas Dei bona et beneplacens et perfecta. ℣. Renovamini spiritu mentis vestrae et induite novum hominem. * Ut.

163 **Feria 3**

LECTIO **Rom 13,1-14** *Subiectio temporalibus potestatibus. Dilectio mutua et vigilantia*

RESPONSORIUM **Rom 13,8; Gal 5,14**

Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis; * Qui diligit proximum, legem implevit. ℣. Omnis lex in uno sermone impletur: Diliges proximum sicut teipsum; * Qui.

164 **Feria 4**

LECTIO **Rom 14**,1-19 *Indulgentia fortium ad infirmos*

RESPONSORIUM **Rom 14**,9.8.7

Christus mortuus est et resurrexit, ut et mortuorum et vivorum simul dominetur; * Sive ergo vivimus, sive morimur, Domini sumus. ℣. Nemo nostrum sibi vivit, nemo sibi moritur; sive enim vivimus, Domino vivimus; sive morimur, Domino morimur; * Sive.

[Brev. Cluniac.]

165 **Feria 5**

LECTIO **Rom 15**,1-13 « *Suscipite invicem, sicut et Christus suscepit vos* »

RESPONSORIUM **Rom 15**,12 (Cf. **Is 11**,10); **Ps 71**,17; **Is 52**,15

Radix Iesse qui exsurget iudicare gentes, in eum gentes sperabunt. * Et erit nomen eius benedictum in saecula. ℣. Super ipsum continebunt reges os suum, ipsum gentes deprecabuntur. * Et.

[Brev. Rom.]

166 **Feria 6**

LECTIO **Rom 15**,14-33 *Ministerium et proposita Apostoli*

RESPONSORIUM **Rom 15**,15-16; **1**,9

Gratia data est mihi a Deo ut sim minister Christi Iesu in gentibus, testificans evangelium Dei, * Ut fiat oblatio gentium accepta et sanctificata in Spiritu Sancto. ℣. Patri servio in spiritu meo in evangelio Filii eius. * Ut.

167 **Sabbato**

LECTIO **Rom 16**,16-27 *Salutationes et doxologia*

RESPONSORIUM **Rom 16**,19; **Mt 10**,16

Vestra obedientia in omnem locum divulgata est. Gaudeo igitur in vobis. * Volo vos sapientes esse in bono et simplices in malo. ℣. Estote prudentes sicut serpentes et simplices sicut columbae. * Volo.

HEBDOMADA 5 PER ANNUM I

168 **Dominica**

LECTIO **1 Cor 1**,1-17 *Prooemium. Divisio inter fideles*

RESPONSORIUM **1 Cor 1**,7-9

Exspectamus revelationem Domini nostri Iesu Christi, * Qui et confirmabit nos usque in finem. ℣. Fidelis est Deus, per quem vocati sumus in societatem filii eius Domini nostri Iesu Christi. * Qui et confirmabit.

169 **Feria 2**

LECTIO **1 Cor 1**,18-**2**,5 *Stultitia crucis, sapientia Dei*

RESPONSORIUM **1 Cor 2**,2; **1**,22-23

Non iudicavi me scire aliquid inter vos, nisi Iesum Christum, et hunc crucifixum: * Christum Dei virtutem et Dei sapientiam. ℣. Iudaei signa petunt et Graeci sapientiam; nos autem praedicamus Christum crucifixum. * Christum Dei virtutem.

170 **Feria 3**

LECTIO **1 Cor 2**,6-**3**,9a *Sapientia a Spiritu Dei revelata*

RESPONSORIUM **Dan 2**,22.29; **1 Cor 2**,9-10

Revelat Deus profunda et abscondita, et novit in tenebris constituta: * Est Deus in caelo revelans mysteria. ℣. Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in corde hominis ascendit, nobis revelavit Deus per Spiritum suum. * Est Deus in caelo.

171 **Feria 4**

LECTIO **1 Cor 3**,9b-**4**,5 *Regni Dei aedificatio et apostolorum munus*

RESPONSORIUM **Eph 2**,19-20; **1 Cor 3**,16

Vos estis cives sanctorum et domestici Dei, superaedificati super fundamentum apostolorum, * Ipso summo angulari lapide Christo Iesu. ℣. Templum Domini estis et Spiritus Dei habitat in vobis. * Ipso summo.

172 **Feria 5**

LECTIO **1 Cor 4**,6-21 *Paterna monita erga Corinthiorum superbiam*

RESPONSORIUM **1 Cor 4**,15-16

Imitatores mei estote, sicut et ego Christi: * Nam in Christo Iesu per evangelium ego vos genui. ℣. Si decem millia paedagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres. * Nam in Christo.

173 **Feria 6**

LECTIO **1 Cor 5**,1-13 *Damnatio fornicatoris*

RESPONSORIUM **1 Cor 5**,7-8; **Rom 4**,25

Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio: Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus: * Itaque epulemur in Domino. ℣. Mortuus est propter delicta nostra, et resurrexit propter iustificationem nostram. * Itaque.

[Brev. Rom.]

174 **Sabbato**

LECTIO **1 Cor 6**,1-20 *De vitae ratione fidelium*

RESPONSORIUM **Tit 3**,5-6; **1 Cor 6**,11

Salvos nos fecit Deus per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti: * Quem effudit in nos abunde per Iesum Christum salvatorem nostrum. ℣. Abluti sumus, et sanctificati et iustificati in nomine Iesu Christi et in Spiritu Dei nostri, * Quem, effudit.

HEBDOMADA 6 PER ANNUM I

175 **Dominica**

LECTIO **1 Cor 7**,1-24 *Quaestiones de matrimonio*

RESPONSORIUM **Mt 19**,4-6 (cf. **Gen 2**,24)

Dimittet homo patrem et matrem, et adhaerebit uxori, et erunt duo in carne una: * Quod Deus coniunxit, homo non separet. ℣. Qui fecit hominem ab initio masculum et feminam fecit eos; itaque iam non sunt duo, sed una caro. * Quod Deus.

176 **Feria 2**

LECTIO **1 Cor 7,25-40** *Virginitas et matrimonium*

RESPONSORIUM **1 Cor 7,29.31; 1 Io 2,15**

Tempus breve est; reliquum est ut qui utuntur hoc mundo, sint tanquam non utantur: * Praeterit enim figura huius mundi. ℣. Nolite diligere mundum, neque ea quae in mundo sunt. * Praeterit.

[Brev. Cluniac.]

177 **Feria 3**

LECTIO **1 Cor 8,1-9,2** *Escae quae idolis immolantur*

RESPONSORIUM **1 Cor 8,4-6**

Etsi sunt qui dicantur dii sive in caelo sive in terra, nobis tamen unus est Deus Pater: * Et unus Dominus Iesus Christus, per quem omnia et nos per ipsum. ℣. Scimus quia nihil est idolum in mundo, et quod nullus est Deus nisi unus. * Et unus Dominus.

178 **Feria 4**

LECTIO **1 Cor 9,3-23** *Libertas et caritas apostoli*

RESPONSORIUM **1 Cor 9,22; Eccli 24,47**

Cum liber essem ex omnibus, omnium me servum feci, ut plures lucrificarem. * Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos. ℣. Videte quoniam non soli mihi laboravi, sed omnibus exquirentibus veritatem. * Omnibus.

[Brev. Maur.]

179 **Feria 5**

LECTIO **1 Cor 9,24-10,14** *Cavendum ab idololatria*

RESPONSORIUM **1 Cor 10,1-4.11**

Patres nostri mare transierunt, et omnes in Moyse baptizati sunt in nube et in mari: * Haec autem omnia in figura contingebant illis. ℣. Omnes eandem escam spiritalem manducaverunt, et omnes eundem potum spiritalem biberunt. * Haec autem.

180 **Feria 6**

LECTIO **1 Cor 10**,15-**11**,1 *Mensa Domini et mensa daemoniorum*

RESPONSORIUM **1 Cor 10**,16-17

Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? * Panis quem frangimus, nonne participatio corporis Christi est? ℣. Unus panis, unum corpus multi sumus, qui de uno pane participamus. * Panis.

181 **Sabbato**

LECTIO **1 Cor 11**,2-16 *Mulieres in fidelium congregatione*

RESPONSORIUM **1 Cor 11**,11-12; **Gen 1**,27

Neque vir sine muliere, neque mulier sine viro in Domino: * Nam sicut mulier de viro, ita et vir per mulierem, omnia autem ex Deo. ℣. Creavit Deus hominem ad imaginem suam, masculum et feminam creavit eos. * Nam sicut mulier.

HEBDOMADA 7 PER ANNUM I

182 **Dominica**

LECTIO **1 Cor 11**,17-34 *Cena Domini*

RESPONSORIUM **1 Cor 11**,24-25

Accipite et manducate: Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: * Hoc facite in meam commemorationem. ℣. Hic calix novum testamentum est in meo sanguine. * Hoc facite.

183 **Feria 2**

LECTIO **1 Cor 12**,1-27 *Spiritualia dona in unitate Corporis Christi*

RESPONSORIUM **Eph 4**,7; **1 Cor 12**,11.4

Unicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi, haec autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, * Dividens singulis prout vult. ℣. Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus. * Dividens.

[Brev. Cluniac.]

184 **Feria 3**

LECTIO **1 Cor 12,28-13,13** *Caritas, charismatum culmen*

RESPONSORIUM **1 Io 4,16.7**

Credidimus caritati, quam Deus habet in nobis: * Qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo. ℣. Diligamus nos invicem, quia caritas ex Deo est. * Qui manet.

185 **Feria 4**

LECTIO **1 Cor 14,1-19** « *Orabo spiritu, orabo et mente* »

RESPONSORIUM **1 Cor 14,12; 8,1**

Quoniam aemulatores estis spirituum: * Ad aedificationem ecclesiae quaerite ut abundetis. ℣. Scientia inflat, caritas vero aedificat. * Ad aedificationem.

186 **Feria 5**

LECTIO **1 Cor 14,20-40** *Regulae de charismatibus in fidelium congregatione*

RESPONSORIUM **1 Th 5,19-21; 1 Cor 14,1**

Spiritum nolite exstinguere, prophetias nolite spernere: * Omnia probate, quod bonum est tenete. ℣. Aemulamini spiritualia, magis autem ut prophetetis. * Omnia probate.

187 **Feria 6**

LECTIO **1 Cor 15,1-19** *Resurrectio Christi, spes fidelium*

RESPONSORIUM **Rom 6,9-10; 4,25**

Christus resurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi ultra non dominabitur: quod enim mortuus est peccato mortuus est semel: * Quod autem vivit, vivit Deo. ℣. Mortuus est semel propter delicta nostra, et resurrexit propter iustificationem nostram. * Quod autem.

[Brev. Rom.]

188 **Sabbato**

Lectio **1 Cor 15**,20-38 *Resurrectio mortuorum et adventus Domini*

Responsorium **1 Cor 15**,25-26; **Ap 20**,13.14

Oportet Christum regnare, donec ponat Deus omnes inimicos sub pedibus eius: * Novissima autem inimica destruetur mors. ℣. Tunc dabunt mors et infernus mortuos suos et mittentur in stagnum ignis. * Novissima.

HEBDOMADA 8 PER ANNUM I

189 **Dominica**

Lectio **1 Cor 15**,39-58 *Resurrectio in novissimo die*

Responsorium **Dan 12**,2; **1 Cor 15**,52

Multi qui dormiunt in terra evigilabunt: * Illi in vitam aeternam, et isti in opprobrium aeternum. ℣. In momento, in ictu oculi, mortui resurgent. * Illi in vitam.

190 **Feria 2**

Lectio **1 Cor 16**,1-24 *Monita diversa et salutationes*

Responsorium **1 Cor 16**,13-14; **Col 4**,5

Vigilate, state in fide; viriliter agite et confortamini: * Omnia vestra in caritate fiant. ℣. In sapientia ambulate ad eos qui foris sunt, tempus redimentes. * Omnia vestra.

191 **Feria 3**

Lectio **2 Tim 1**,1-18 *Paulus Timotheum hortatur, ut sit fortis in munere*

Responsorium **Rom 8**,15-16; **2 Tim 1**,7

Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba, Pater. * Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro quod sumus filii Dei. ℣. Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis et dilectionis et sobrietatis. * Ipse enim.

192 **Feria 4**

LECTIO **2 Tim 2**,1-21 *Hortatio ad constantiam in labore et persecutione*

RESPONSORIUM **2 Cor 4**,10.12; **2 Tim 2**,10

Semper mortificationem Iesu in corpore nostro circumferimus, ut et vita Iesu manifestetur in corporibus nostris. * Ergo mors in nobis operatur, vita autem in vobis. ℣. Ideo omnia sustineo propter electos, ut et ipsi salutem consequantur. * Ergo mors.

193 **Feria 5**

LECTIO **2 Tim 2**,22-**3**,13 *Instant tempora periculosa*

RESPONSORIUM **2 Tim 2**,24-25; **Ez 33**,11

Servum Domini oportet mansuetum esse ad omnes, cum modestia corripientem eos qui resistunt veritati. * Dabit illis Deus paenitentiam ad cognoscendam veritatem. ℣. Non vult Deus mortem impiorum, sed ut convertantur et vivant. * Dabit illis.

194 **Feria 6**

LECTIO **2 Tim 3**,14-**4**,22 *Ultima exhortatio. Paulus morti proximus*

RESPONSORIUM **2 Tim 4**,2.5; **Phil 1**,18

Praedica verbum, insta opportune, importune; argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina; * In omnibus labora, opus fac evangelistae. ℣. Dum omni modo sive per occasionem sive per veritatem Christus annuntietur. * In omnibus.

195 **Sabbato**

LECTIO **Philem** 1-25 *Obsecratio Apostoli pro Onesimo*

RESPONSORIUM **Gal 3**,27-28; **4**,7; **Philem** 16

Omnes vos unum estis in Christo Iesu. * Itaque iam non est servus, sed filius; quod si filius, et heres per Deum. ℣. Illum recipe iam non ut servum, sed pro servo carissimum fratrem. * Itaque iam.

HEBDOMADA 9 PER ANNUM I

196 **Dominica**

LECTIO **Phil 1,1-11** *Salutatio. Gratiarum actio*

RESPONSORIUM **Phil 1,9-10.6**

Caritas vestra magis ac magis abundet in scientia et in omni sensu, * Ut probetis potiora, ut sitis sinceri, et sine offensa. ℣. Confidens quia, qui coepit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Iesu. * Ut probetis.

197 **Feria 2**

LECTIO **Phil 1,12-26** *Paulus sub iudice*

RESPONSORIUM **Phil 1,20.21**

Scio, secundum expectationem et spem meam, quia in nullo confundar; sed in omni fiducia, sicut semper et nunc, * Magnificabitur Christus in corpore meo, sive per vitam, sive per mortem. ℣. Mihi enim vivere Christus, et mori lucrum. * Magnificabitur.

198 **Feria 3**

LECTIO **Phil 1,27-2,11** *Exhortatio ad Christum imitandum*

RESPONSORIUM **Phil 2,8-9; Hebr 12,2**

Christus Iesus humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem. * Propter quod et Deus exaltavit illum et donavit illi nomen quod est super omne nomen. ℣. Auctor fidei nostrae proposito sibi gaudio sustinuit crucem. * Propter quod.

199 **Feria 4**

LECTIO **Phil 2,12-30** *Salutem vestram operamini*

RESPONSORIUM **Phil 2,12-13; Io 15,5**

Cum metu et tremore vestram salutem operamini. * Deus est enim qui operatur in vobis et velle et perficere pro bona voluntate. ℣. Dicit Iesus: Sine me nihil potestis facere. * Deus.

200 **Feria 5**

LECTIO **Phil 3**,1-16 *Exemplum Pauli*

RESPONSORIUM **Phil 3**,8.10; **Rom 6**,8

Omnia detrimentum feci ut Christum lucrifaciam, * Ad cognoscendum illum et virtutem resurrectionis eius et societatem passionum illius. ℣. Si mortui sumus cum Christo, credimus quia simul etiam vivemus cum Christo. * Ad cognoscendum.

201 **Feria 6**

LECTIO **Phil 3**,17-**4**,9 *State in Domino*

RESPONSORIUM **Phil 3**,20-21; **Tit 2**,12-13

Salvatorem exspectamus Dominum nostrum Iesum Christum, * Qui reformabit corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suae. ℣. Sobrie et iuste et pie vivamus in hoc saeculo, exspectantes beatam spem et adventum gloriae magni Dei. * Qui reformabit.

[Brev. Rom.]

202 **Sabbato**

LECTIO **Phil 4**,10-23 *Liberalitas Philippensium erga Paulum*

RESPONSORIUM **Phil 4**,12-13; **2 Cor 12**,10

Scio et humiliari, scio et abundare, et satiari et esurire, et abundare et penuriam pati. * Omnia possum in eo qui me confortat. ℣. Placeo mihi in infirmitatibus meis, in angustiis pro Christo. * Omnia.

HEBDOMADA 10 PER ANNUM I

203 **Dominica**

LECTIO **Iudic 2**,6-**3**,4 *Conspectus generalis temporis Iudicum*

RESPONSORIUM **Ios 24**,16.24; **1 Cor 8**,5-6

Absit a nobis ut relinquamus Dominum, et serviamus diis alienis: * Domino Deo nostro serviemus, et obedientes erimus praeceptis eius. ℣. Etsi sunt qui dicantur dii, sive in caelo, sive in terra, nobis tamen unus Deus. * Domino Deo.

204 **Feria 2**

LECTIO **Iudic 4**,4-24 *Debbora et Barac* (vel, ad libitum **Iudic 5**,1-31: *Canticum Debborae*)

RESPONSORIUM **1 Cor 1**,27.29; **2 Cor 12**,9; **1 Cor 1**,28

Infirma mundi elegit Deus ut confundat fortia, ut non glorietur omnis caro in conspectu eius, * Nam virtus in infirmitate perficitur. ℣. Ignobilia mundi elegit Deus, ut ea quae sunt destrueret. * Nam.

205 **Feria 3**

LECTIO **Iudic 6**,1-2.6.11-32 *Vocatio Gedeonis*

RESPONSORIUM **Is 45**,3-4.6; **Iudic 6**,14

Ego Dominus, qui voco nomen tuum, propter servum meum Israël et Iacob electum meum. * Vade in hac fortitudine, et liberabis Israël. ℣. Ut sciant omnes quia ego Dominus et non est alter. * Vade.

206 **Feria 4**

LECTIO **Iudic 6**,33-35; **7**,1-8.16-22 *Victoria Gedeonis cum infirmo exercitu*

RESPONSORIUM **2 Macc 8**,18; **1 Io 5**,4

Illi quidem armis confidunt et audacia. * Nos in omnipotente Domino confidimus. ℣. Haec est victoria quae vincit mundum, fides nostra. * Nos in omnipotente.

207 **Feria 5**

LECTIO **Iudic 8**,22-23.30-32; **9**,1-15.19-20 *Conatus ad regem in populo Dei instituendum.*

RESPONSORIUM **Iudic 8**,23; **Ap 5**,13

Non dominabor vestri, nec dominabitur in vos filius meus: * Dominabitur vobis Dominus. ℣. Sedenti in throno et Agno, benedictio et honor et gloria et potestas in saecula saeculorum. * Dominabitur vobis.

208 **Feria 6**

LECTIO **Iudic 13**,1-25 *Annuntiatio nativitatis Samsonis*

RESPONSORIUM **Iudic 13**,5; **Lc 1**,31

Concipies et paries filium, cuius non tanget caput novacula; erit enim nazaraeus Dei. * Et ipse liberabit Israël de manu inimicorum. ℣. Ecce concipies in utero et paries filium et vocabis nomen eius Iesum. * Et ipse liberabit.

209 **Sabbato**

LECTIO **Iudic 16**,4-6.16-31 *Perfidia Dalilae et mors Samsonis*

RESPONSORIUM **Ps 42**,1-2; **Iudic 16**,28

Iudica me, Deus, et discerne causam meam de gente non sancta. * Quia tu es fortitudo mea. ℣. Memento mei et redde mihi fortitudinem pristinam. * Quia.

HEBDOMADA 11 PER ANNUM I

210 **Dominica**

LECTIO **Ruth 1**,1-18.22 *Fidelitas Ruth*

RESPONSORIUM **Mt 1**,5; **Ruth 4**,17

Booz genuit Obed ex Ruth, Obed autem genuit Iesse, * Iesse autem genuit David regem. ℣. Natus est Ruth filius Noemi; vocaverunt nomen eius Obed: hoc est pater Iesse. * Iesse.

211 **Feria 2**

LECTIO **Ruth 2**,1-18 *Occursus Booz et Ruth in agro*

RESPONSORIUM **Ruth 2**,11-12; **Luc 1**,45

Quod reliqueris parentes tuos, reddat tibi Dominus pro opere tuo: * Plenam mercedem recipies a Domino Deo tuo, sub cuius confugisti alas. ℣. Benedicta tu, et beata quae credidisti: * Plenam mercedem.

[Brev. Paris.]

212 **Feria 3**

LECTIO **Ruth 3**,1-18 *Somnium et promissio Booz*

RESPONSORIUM **Ruth 3**,11; **Lc 1**,30

Noli metuere, sed quidquid dixeris mihi faciam tibi; * Scit enim omnis populus mulierem te esse virtutis. ℣. Ne timeas, Maria, invenisti enim gratiam apud Deum. * Scit enim.

213 **Feria 4**

LECTIO **Ruth 4**,1-17 *Nuptiae Booz et Ruth*

RESPONSORIUM **Ier 23**,5-6; **Lc 1**,32

Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et suscitabo David germen iustum. * In diebus illis salvabitur Iuda et Israël habitabit confidenter. ℣. Dabit illi Dominus Deus sedem David patris eius. * In diebus illis.

214 **Feria 5**

LECTIO **1 Sam 1**,1-18 *Sterilitas Annae eiusque oratio*

RESPONSORIUM **1 Sam 1**,11; **Ps 112**,9

Domine exercituum, si recipiens videris afflictionem famulae tuae et recordatus mei fueris dederisque servae tuae filium, * Sanctificabitur Domino filius omnibus diebus vitae suae. ℣. Habitare facit Dominus sterilem in domo, matrem filiorum laetantem. * Sanctificabitur.

215 **Feria 6**

LECTIO **1 Sam 1**,19-28; **2**,11-13.17-21.26 *Nativitas et consecratio Samuelis*

RESPONSORIUM **1 Sam 2**,1-2; **Lc 1**,46

Exsultavit cor meum in Domino, quia laetata sum in salutari tuo. * Non est sanctus ut est Dominus, et non est fortis sicut Deus noster. ℣. Magnificat anima mea Dominum et exsultavit spiritus meus in Deo salutari meo. * Non est.

216 **Sabbato**

LECTIO **1 Sam 3**,1-20 *Vocatio Samuelis*

RESPONSORIUM **Eccli 46**,16-18; **Is 42**,1

Dilectus a Domino suo Samuel propheta Domini instituit imperium et unxit principes in gente sua. * In fide sua probatus est propheta et cognitus est in verbis suis fidelis. ℣. Ecce servus meus, suscipiam eum, electus meus in quo complacuit sibi anima mea. * In fide sua.

HEBDOMADA 12 PER ANNUM I

217 **Dominica**

LECTIO **1 Sam 7**,15-17; **8**,4-22 *Israël postulat regem*

RESPONSORIUM **1 Sam 10**,19; **Is 33**,22

Vos hodie proiecistis Deum nostrum, * Qui solus salvavit nos de universis malis nostris. ℣. Dominus enim iudex noster, Dominus legifer noster, Dominus rex noster. * Qui solus.

218 **Feria 2**

LECTIO **1 Sam 9**,1-6.14-21; **10**,1-2.5-7 *Saul rex eligitur et ungitur*

RESPONSORIUM **1 Sam 10**,1; **Ps 44**,5

Ecce unxit te Dominus super hereditatem suam in principem, * Et liberabis populum suum de manibus inimicorum eius. ℣. Specie tua et pulchritudine tua intende, prospere procede et regna, propter veritatem et mansuetudinem et iustitiam. * Et.

219 **Feria 3**

LECTIO **1 Sam 11**,1-15 *Saul victor acclamatur rex a populo*

RESPONSORIUM **Ps 17**,47-48.51

Vivit Dominus et benedictus Deus meus. Et exaltetur Deus salutis meae. * Liberator meus de inimicis meis iracundis. ℣. Magnificans salutem regis eius, et faciens misericordiam christo eius. * Liberator.

220 **Feria 4**

LECTIO **1 Sam 15**,10-23 *Saul peccator a Domino reicitur*

RESPONSORIUM **1 Sam 15**,22; **Os 6**,6

Numquid vult Dominus holocausta et victimas, et non potius ut obediatur voci Domini? * Melior est obedientia quam victimae, et auscultare magis quam offerre adipem arietum. ℣. Misericordiam volo et non sacrificium, et scientiam Dei plus quam holocausta. * Melior.

221 **Feria 5**

LECTIO **1 Sam 16**,1-13 *David rex ungitur*

RESPONSORIUM **Ps 88**,20.22.21

Posui adiutorium super potentem, et exaltavi electum de plebe mea. * Manus enim mea auxiliabitur ei. ℣. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum. * Manus.

[Brev. Rom.]

222 **Feria 6**

LECTIO **1 Sam 17**,1-11.32-37.40.43-51 *Proelium David cum Goliath*

RESPONSORIUM **1 Sam 17**,37; **Ps 56**,4-5

Dominus qui eripuit me de ore leonis, et de manu bestiae liberavit me. * Ipse me eripiet de manibus inimicorum meorum. ℣. Misit Deus misericordiam suam et veritatem suam; animam meam eripuit de medio catulorum leonum. * Ipse me.

[Brev. Rom.]

223 **Sabbato**

LECTIO **1 Sam 17**,57-**18**,16 *Invidia Saul erga David*

RESPONSORIUM **Ps 55**,2.4.13

Miserere mei, Deus, quoniam conculcavit homo; tota die impugnans tribulavit me. * Ego vero in te sperabo. ℣. Quoniam eripuisti animam meam de morte et pedes meos de lapsu. * Ego.

HEBDOMADA 13 PER ANNUM I

224 **Dominica**

LECTIO **1 Sam 19**,1-7; **20**,1-17 *Amicitia David cum Ionatha*

RESPONSORIUM **Prov 17**,17; **1 Io 4**,7

Omni tempore diligit qui amicus est. * Et frater in angustiis comprobatur. ℣. Omnis qui diligit, ex Deo natus est et cognoscit Deum. * Et frater.

225 **Feria 2**

LECTIO **1 Sam 21**,1-9; **22**,6.9-11.16-19 *David et sacerdotes Nobe*

RESPONSORIUM **Rom 7**,6; **Mc 2**,25-26

Soluti sumus a lege mortis in qua detinebamur, * Serviamus in novitate spiritus et non in vetustate litterae. ℣. Numquam legistis quid fecerit David, quando esuriit? Quomodo introivit in domum Dei, et panes propositionis manducavit. * Serviamus.

226 **Feria 3**

LECTIO **1 Sam 25**,14-24.28-39 *David et Abigail*

RESPONSORIUM **1 Sam 25**,32-33; **Mt 5**,7

Benedictus Dominus Deus Israël, qui misit te hodie in occursum meum. * Prohibuisti me hodie ne irem ad sanguinem et ulciscerer me de manu mea. ℣. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. * Prohibuisti.

227 **Feria 4**

LECTIO **1 Sam 26**,2-25 *Magnanimitas David erga Saul*

RESPONSORIUM **1 Sam 24**,7; **Prov 24**,21

Propitius sit mihi Dominus ne faciam hanc rem domino meo, ut mittam manum meam in eum. * Quia christus Domini est. ℣. Cum detractoribus non commiscearis, sed time Dominum et regem. * Quia.

228 **Feria 5**

LECTIO **1 Sam 31,**1-4; **2 Sam 1,**1-16 *Mors Saul*

RESPONSORIUM **2 Sam 1,**21.19

Montes Gelboe, nec ros, nec pluvia veniant super vos, * Ubi ceciderunt fortes Israël. ℣. Omnes montes qui estis in circuitu eius visitet Dominus; a Gelboe autem transeat. * Ubi ceciderunt.

[Brev. Rom.]

229 **Feria 6**

LECTIO **2 Sam 2,**1-4.8-11; **3,**1; **4,**5.7-12; **5,**1-12 *Initia regni David super Israël*

RESPONSORIUM **Ps 2,**2.6.1

Astiterunt reges terrae, et principes convenerunt in unum adversus Dominum et adversus christum eius. * Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion, montem sanctum eius. ℣. Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania? * Ego autem.

230 **Sabbato**

LECTIO **2 Sam 6,**1-23 *Translatio arcae in Ierusalem*

RESPONSORIUM **Ps 131,**8-9; **Ps 23,**7.9

Surge, Domine, in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuae. * Sacerdotes induantur iustitiam, et sancti exsultent. ℣. Attollite portas, principes, vestras, et elevamini, portae aeternales, et introibit rex gloriae. * Sacerdotes.

HEBDOMADA 14 PER ANNUM I

231 **Dominica**

LECTIO **2 Sam 7,**1-9.11-12.14-21.25-29 *Vaticinium Nathan messianicum*

RESPONSORIUM **Lc 1,**30-32; **Ps 131,**11

Angelus Gabriel locutus est Mariae dicens: Ecce concipies in utero et paries filium et dabit illi Deus sedem David patris eius: * Et regnabit in domo Iacob in aeternum. ℣. Iuravit Dominus David veritatem et non frustrabitur eam: De fructu ventris tui ponam super sedem tuam. * Et regnabit.

232 **Feria 2**

LECTIO **2 Sam 11**,1-17.26-27 *Peccatum David*

RESPONSORIUM **2 Sam 12**,9; **Ex 20**,2.13.14

Uriam Hethaeum percussisti gladio et uxorem illius accepisti in uxorem tibi. * Quare ergo contempsisti verbum Domini ut faceres malum in conspectu meo? ℣. Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti. Non occides, non moechaberis. * Quare.

233 **Feria 3**

LECTIO **2 Sam 12**,1-25 *Paenitentia David*

RESPONSORIUM **Or. Manasse**, 9.10.12; **Ps** 50,5-6

Peccavi super numerum arenae maris, et multiplicata sunt peccata mea et non sum dignus videre altitudinem caeli prae multitudine iniquitatis meae, quoniam irritavi iram tuam, * Et malum coram te feci. ℣. Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, et delictum meum contra me est semper, quia tibi soli peccavi. * Et malum.

[Brev. Rom.]

234 **Feria 4**

LECTIO **2 Sam 15**,7-11.13-14.24-30; **16**,5-13 *Seditio Absalom et fuga David*

RESPONSORIUM **Ps 40**,10; **Mc 14**,18

Homo pacis meae in quo speravi, * Qui edebat panes meos magnificavit super me supplantationem. ℣. Unus ex vobis tradet me, qui manducat mecum. * Qui edebat.

235 **Feria 5**

LECTIO **2 Sam 18**,6-17.21.24.31-33; **19**,1-4 *Mors Absalom et luctus David*

RESPONSORIUM **Os 11**,3-4.8

Dixit Dominus: Ego portabam filios meos in brachiis meis, et nescierunt quod curarem eos. * In funiculis Adam traham eos, in vinculis caritatis. ℣. Conversum est in me cor meum, pariter conturbata est paenitudo mea. * In funiculis.

236 **Feria 6**

LECTIO **2 Sam 24**,1-4.10-25 *Census populi et aedificatio altaris*

RESPONSORIUM **Idt 9**,18; **1 Chron 21**,15; **2 Sam 24**,17

Recordare, Domine, testamenti tui et dic angelo percutienti: Cesset iam manus tua, * Ut non desoletur terra, et ne perdas omnem animam vivam. ℣. Ego sum qui peccavi, ego qui inique egi; isti qui oves sunt, quid fecerunt? Avertatur, obsecro, furor tuus, Domine, a populo tuo. * Ut non.

[Brev. Rom.]

237 **Sabbato**

LECTIO **1 Reg 1**,5-8.11-18.22-25.28-35.38-40 *David Salomonem sibi successorem eligit*

RESPONSORIUM **2 Sam 12**,24-25; **1 Io 4**,10

Dilexit Dominus Salomonem, misitque in manu Nathan prophetae, * Et vocavit nomen eius Amabilis Domino, eo quod diligeret eum Dominus. ℣. In hoc est caritas Dei, quoniam ipse prior dilexit nos. * Et vocavit.

[Cf. Brev. Paris.]

HEBDOMADA 15 PER ANNUM I

238 **Dominica**

LECTIO **1 Chron 22**,5-19 *Aedificatio Templi a David praeparatur*

RESPONSORIUM **1 Chron 22**,19; **Ps 131**,7; **Mc 11**,17

Praebete corda vestra et animas vestras, consurgite et aedificate sanctuarium Domino Deo: * Introibimus in tabernaculum eius, adorabimus in loco ubi steterunt pedes eius. ℣. Dicit Dominus: Domus mea domus orationis vocabitur omnibus gentibus. * Introibimus.

239 **Feria 2**

LECTIO **1 Reg 2,**1-4; **3,**3-15 *Inauguratio regni Salomonis*

RESPONSORIUM **1 Reg 3,**11-13; **Lc 12,**31

Dixit Dominus Salomoni: Quia non petisti tibi dies multos nec divitias, sed postulasti tibi sapientiam, * Ecce dedi tibi cor sapiens et intelligens, sed et divitias et gloriam. ℣. Quaerite primum regnum Dei et iustitiam eius, et haec omnia adicientur vobis. * Ecce.

[Cf. Brev. Paris.]

240 **Feria 3**

LECTIO **1 Reg 8,**1-6.10-21.62-66 *Solemnis dedicatio Templi*

RESPONSORIUM **Sap 9,**8.4; **1 Chron 6,**19

Tu, domine, elegisti me regem populo tuo et dixisti me aedificare templum in monte sancto tuo: * Da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam et noli me reprobare a pueris tuis. ℣. Ad hoc tantum facta est domus ista, ut respicias orationem servi tui et audias preces quas fundit famulus tuus coram te. * Da.

[Cf. Brev. Paris. et Cluniac.]

241 **Feria 4**

LECTIO **1 Reg 8,**22-23.27-30.33-34.41-43.46-60 *Oratio Salomonis in dedicatione Templi*

RESPONSORIUM **Is 56,**7; **1 Reg 8,**29

Adducam eos in montem sanctum meum et laetificabo eos, * Quia domus mea domus orationis vocabitur cunctis populis. ℣. Sint oculi tui aperti nocte ac die super hanc domum, de qua dixisti: Erit nomen meum ibi. * Quia.

242 **Feria 5**

LECTIO **1 Reg 10,**1-13 *Gloria Salomonis coram regina Saba*

RESPONSORIUM **Lc 11,**31; **1 Reg 10,**4-5

Regina Austri surget in iudicio cum viris generationis huius et condemnabit illos, quia venit a finibus terrae ad Salomonem, * Et ecce plus quam Salomon hic. ℣. Videns omnem sapientiam Salomonis, non habebat ultra spiritum, * Et.

243 **Feria 6**

LECTIO **1 Reg 11,**1-4.9-13.26-40 *Peccata Salomonis et seditio Ieroboam*

RESPONSORIUM **Eccli 47,**22.24; **2 Tim 2,**13

Dedit Salomon maculam in gloria sua: Deus autem non derelinquit misericordiam suam, * Et non corrumpet nec delebit opera sua. ℣. Deus fidelis permanet, negare seipsum non potest. * Et.

[Brev. Paris.]

244 **Sabbato**

LECTIO **1 Reg 12,**1-19 *Divisio regni tempore Roboam, Salomonis filii*

RESPONSORIUM **2 Reg 17,**21-23; **Ez 37,**22.25

Separavit Ieroboam Israël a Domino, et ambulaverunt filii Israël in peccatis quae fecerat, usquequo Dominus auferret Israël a facie sua, * Sicut locutus fuerat Dominus in manu prophetarum. ℣. Non erunt ultra duae gentes, nec dividentur amplius in duo regna, et habitabunt super terram suam in sempiternum. * Sicut.

HEBDOMADA 16 PER ANNUM I

245 **Dominica**

LECTIO **2 Chron 15,**1-15 *Fidelitas Asa, regis Iuda*

RESPONSORIUM **1 Chron 15,**15; **Mt 7,**8

Omnes cum exsecratione in omni corde suo iuraverunt; * In tota voluntate quaesierunt Dominum et invenerunt. ℣. Omnis enim qui petit accipit, et qui quaerit invenit, et pulsanti aperietur. * In.

246 **Feria 2**

LECTIO **1 Reg 16,**29-**17,**16 *Initia Eliae prophetae tempore Achab regis Israel*

RESPONSORIUM **Iac 5,**17-18; **Eccli 48,**1.3

Elias propheta oravit ut non plueret et non pluit. * Et oravit et caelum dedit pluviam. ℣. Surrexit Elias quasi ignis, et verbum ipsius quasi facula ardebat; verbo Domini continuit caelum. * Et oravit.

[Cf. Brev. Paris.]

247 **Feria 3**

LECTIO **1 Reg 18**,1-2a.20-46 *Dominus per Eliam de Baal triumphat*

RESPONSORIUM **1 Reg 18**,21; **Mt 6**,24

Accedens Elias ad omnem populum ait: Usquequo claudicatis in duas partes? * Si Dominus est Deus, sequimini eum. ℣. Nemo potest duobus dominis servire: non potestis Deo servire et mammonae. * Si.

[Cf. Brev. Paris.]

248 **Feria 4**

LECTIO **1 Reg 19**,1-9a.11-21 *Dominus Eliae se revelat*

RESPONSORIUM **Ex 33**,22.20; **Io 1**,18

Dixit Dominus ad Moysen: Cum transibit gloria mea, ponam te in foramine petrae et protegam te dextera mea donec transeam: * Non enim videbit homo Deum et vivet. ℣. Deum nemo vidit unquam: Unigenitus Filius qui est in sinu Patris, ipse enarravit. * Non enim.

249 **Feria 5**

LECTIO **1 Reg 21**,1-22.24.27-29 *Elias iustitiae in pauperes defensor*

RESPONSORIUM **Am 8**,11-12; **Mt 5**,6

Ecce dies veniunt et mittam famem in terram; non famem panis neque sitim aquae; * Mittam sitim audiendi verbum Domini. ℣. Beati qui esuriunt et sitiunt iustitiam, quia saturabuntur. * Mittam sitim.

250 **Feria 6**

LECTIO **1 Reg 22**,3-9.13-23.26-30.34.36-38 *Consilium Dei in Achab regem impium manifestatur*

RESPONSORIUM **Ier 29**,8-9.11; **Dt 18**,18

Non vos seducant prophetae vestri, quia ipsi falso prophetant vobis in nomine meo: * Ego scio cogitationes quas ego cogito super vos, dicit Dominus. ℣. Prophetam suscitabo et ponam verba mea in ore eius. * Ego.

251 **Sabbato**

LECTIO **2 Chron 20**,1-9.13-15.17-22.27-29 *Mirabilis protectio Domini super populum Iuda tempore Iosaphat regis fidelis*

RESPONSORIUM **Eph 6**,12.14; **2 Chron 20**,15

Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, contra spiritualia nequitiae. * State ergo succincti lumbos vestros in veritate. ℣. Confidenter state, et videbitis auxilium Domini super vos. * State.

HEBDOMADA 17 PER ANNUM I

252 **Dominica**

LECTIO **2 Reg 2**,1-15 *Assumptio Eliae*

RESPONSORIUM **Mal 4**,5; **Lc 1**,15-17

Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis, * Et convertet cor patrum ad filios et cor filiorum ad patres eorum. ℣. Erit Ioannes magnus coram Domino, et multos filiorum Israël convertet ad Dominum, et praecedet ante illum in spiritu et virtute Eliae. * Et.

253 **Feria 2**

LECTIO **2 Reg 5**,1-27 *Eliseus potentiam Dei in Naaman Syro manifestat*

RESPONSORIUM **2 Reg 5**,14-15; **Lc 4**,27

Restituta est caro leprosi sicut caro pueri parvuli, et mundatus est: * Et ait Naaman: Non est alius Deus in universa terra nisi tantum in Israël. ℣. Multi leprosi erant in Israël sub Eliseo propheta, et nemo eorum mundatus est nisi Naaman Syrus. * Et.

254 **Feria 3**

LECTIO **2 Reg 6**,8-23 *Latrones Syri per Eliseum mirabiliter capiuntur et misericorditer liberantur*

RESPONSORIUM **Lc 6**,35-36; **2 Reg 6**,22

Diligite inimicos vestros, benefacite et mutuum date, nihil inde sperantes: * Estote misericordes, sicut et Pater vester misericors est. ℣. Non percuties, sed pone panem et aquam coram eis ut comedant et bibant. * Estote.

255 **Feria 4**

LECTIO **2 Reg 6**,24-27; **7**,1-20 *Samaria mirabiliter ab obsidione liberatur*

RESPONSORIUM **2 Reg 7**,2-3; **Mc 11**,23

Respondens Eliseo unus de ducibus ait: Numquid poterit esse quod loqueris? Qui ait: * Videbis oculis tuis. ℣. Quicumque non haesitaverit in corde suo, sed crediderit quia quodcumque dixerit fiat, fiet ei. * Videbis.

256 **Feria 5**

LECTIO **2 Reg 9**,1-8a.11-13.16.22-27 *Iehu per Eliseum in regem Israël assumitur*

RESPONSORIUM **2 Reg 9**,13.12; **Lc 19**,36.38

Festinaverunt et unusquisque tollens pallium posuerunt sub pedibus eius, et cecinerunt tuba et dixerunt: Regnavit Iehu, * Quia haec dicit Dominus: Unxi te regem in Israël. ℣. Eunte Iesu substernebant vestimenta sua in via dicentes: Benedictus qui venit rex in nomine Domini. * Quia.

257 **Feria 6**

LECTIO **2 Reg 11**,1-20 *Ioas rex Iuda iram impiae Athaliae effugit*

RESPONSORIUM **1 Chron 23**,3; **Ier 23**,5

Iniit multitudo pactum in domo Domini cum rege, dixitque ad eos Ioiada: Ecce filius regis regnabit * Sicut locutus est Dominus super filios David. ℣. Ecce dies veniunt, et suscitabo David germen iustum, et regnabit rex et sapiens erit. * Sicut.

258 **Sabbato**

LECTIO **2 Chron 24**,1-20 *Regnum Ioas in Iuda*

RESPONSORIUM **2 Chron 24**,21-22; **Lc 11**,50-51

Congregati adversus Zachariam miserunt lapides in atrio domus Domini; * Qui cum moreretur ait: Videat Dominus et requirat. ℣. Inquiretur sanguis qui effusus est a generatione ista, a sanguine Abel usque ad sanguinem Zachariae. * Qui.

[Cf. Brev. Paris.]

HEBDOMADA 18 PER ANNUM I

259 **Dominica**

LECTIO **Eph 1**,1-14 *Magnum Dei voluntatis mysterium*

RESPONSORIUM **Eph 1**,5-6; **Rom 5**,2

Praedestinavit nos Deus in adoptionem filiorum per Iesum Christum, secundum propositum voluntatis suae, in laudem gloriae gratiae suae, * In qua gratificavit nos Deus in dilecto Filio suo. ℣. Per Dominum nostrum Iesum Christum habemus accessum in gratiam istam in qua stamus. * In qua.

260 **Feria 2**

LECTIO **Eph 1**,15-23 *Oratio Pauli pro fidelium illuminatione*

RESPONSORIUM **Eph 1**,17-18; **1 Cor 2**,12

Det vobis Deus spiritum sapientiae et revelationis, ut sciatis quae sit spes vocationis eius, * Et quae divitiae gloriae hereditatis eius in sanctis. ℣. Non spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quae a Deo donata sunt nobis. * Et quae.

261 **Feria 3**

LECTIO **Eph 2**,1-10 *Peccatores salvati in Christo Iesu*

RESPONSORIUM **Eph 2**,5-6; **Io 3**,16

Cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos Deus in Christo. * Et conresuscitavit et consedere nos fecit in caelestibus in Christo Iesu. ℣. Sic Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret. * Et.

262 **Feria 4**

LECTIO **Eph 2**,11-22 *Gentes Iudaeis et Deo reconciliatae*

RESPONSORIUM **Eph 2**,14.16-18.13

Christus est pax nostra, qui fecit utraque unum, interficiens inimicitias in semetipso. Et veniens evangelizavit pacem vobis qui longe fuistis, et pacem iis qui prope. * Quoniam per ipsum habemus accessum ambo in uno spiritu ad Patrem. ℣. Nunc autem in Christo Iesu facti sumus prope in sanguine Christi. * Quoniam.

263 **Feria 5**

LECTIO **Eph 3,1-13** *Paulus praeco mysterii Christi*

RESPONSORIUM **Eph 3,8.12; Rom 1,5**

Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia haec, in gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi, * In quo habemus fiduciam et accessum in confidentia per fidem eius. ℣. Accepimus gratiam et apostolatum ad obediendum fidei in gentibus pro nomine eius. * In quo.

264 **Feria 6**

LECTIO **Eph 3,14-21** *Oratio Pauli ut fideles caritatem Christi cognoscant*

RESPONSORIUM **Eph 3,20-21; Gal 1,4**

Ei qui potens est omnia facere superabundanter quam petimus aut intelligimus, * Ipsi gloria in Ecclesia et in Christo Iesu, in omnes generationes saeculorum. ℣. Christus dedit semetipsum pro peccatis nostris secundum voluntatem Dei et Patris nostri. * Ipsi gloria.

265 **Sabbato**

LECTIO **Eph 4,1-16** *Corpus Christi in unitate aedificatur*

RESPONSORIUM **Eph 4,4-5; Col 1,12**

Unum corpus et unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae. * Unus Dominus, una fides, unum baptisma. ℣. Gratias agamus Deo Patri qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine. * Unus Dominus.

HEBDOMADA 19 PER ANNUM I

266 **Dominica**

LECTIO **Eph 4,17-32** *Novus homo induendus*

RESPONSORIUM **Eph 4,23-24; Col 3,9-10**

Renovamini spiritu mentis vestrae, et induite novum hominem, * Qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate veritatis. ℣. Exspoliantes veterem hominem cum actibus suis induite novum hominem. * Qui secundum.

267 **Feria 2**

LECTIO **Eph 5,**1-21 *Vita nova*

RESPONSORIUM **Eph 5,**8-9; **Mt 5,**14.16

Vos estis lux in Domino: ut filii lucis ambulate. * Fructus lucis est in omni bonitate et iustitia et veritate. ℣. Vos estis lux mundi. Luceat lux vestra coram hominibus. * Fructus.

268 **Feria 3**

LECTIO **Eph 5,**22-33 *Coniugum munera*

RESPONSORIUM **Gen 2,**23-24; **Eph 5,**32

Hoc nunc os ex ossibus meis et caro de carne mea. Quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem, et adhaerebit uxori suae; * Et erunt duo in carne una. ℣. Sacramentum hoc magnum est, ego dico in Christo et in Ecclesia. * Et.

[Brev. Cluniac.]

269 **Feria 4**

LECTIO **Eph 6,**1-9 *Officia domestica*

RESPONSORIUM **1 Cor 7,**22-23; **Gal 3,**28

Qui in Domino vocatus est servus, libertus est Domini; qui liber vocatus est, servus est Christi. * Pretio empti estis, nolite fieri servi hominum. ℣. In Christo Iesu, non est Iudaeus neque Graecus; non est servus neque liber. * Pretio.

270 **Feria 5**

LECTIO **Eph 6,**10-24 *Certamen spirituale. Epilogus*

RESPONSORIUM **Eph 6,**10-11; **1 Cor 10,**13

Confortamini in Domino et in potentia virtutis eius. * Induite vos armaturam Dei ut possitis stare adversus insidias diaboli. ℣. Fidelis Deus est qui non patietur vos tentari supra id quod potestis. * Induite.

271 **Feria 6**

LECTIO **Iac 1**,1-18 *Gaudium in tentationibus*

RESPONSORIUM **Iac 1**,12; **2 Tim 4**,7-8

Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitae, * Quam repromisit Deus diligentibus se. ℣. Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi; reposita est mihi corona iustitiae. * Quam repromisit.

[Brev. Cluniac.]

272 **Sabbato**

LECTIO **Iac 1**,19-27 *Estote factores verbi*

RESPONSORIUM **Iac 1**,21; **Phil 1**,27; **2**,15

Abicientes omnem immunditiam et abundantiam malitiae in mansuetudine suscipite insitum verbum, * Quod potest salvare animas vestras. ℣. Digne Evangelio conversamini, ut sitis sine querela, et simplices filii Dei, verbum vitae continentes. * Quod.

[Brev. Cluniac.]

HEBDOMADA 20 PER ANNUM I

273 **Dominica**

LECTIO **Iac 2**,1-13 *Honor pauperibus debitus*

RESPONSORIUM **Iac 2**,5; **Mt 5**,3

Deus elegit pauperes in hoc mundo divites in fide et heredes regni, * Quod repromisit Deus diligentibus se. ℣. Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum. * Quod.

274 **Feria 2**

LECTIO **Iac 2**,14-26 *Fides operibus probanda*

RESPONSORIUM **Mt 7**,21; **Iac 2**,17

Non omnis qui dicit Domine, Domine, intrabit in regnum caelorum; * Qui facit voluntatem Patris qui in caelis est, ipse intrabit in regnum caelorum. ℣. Fides, si non habeat opera, mortua est in semetipsa. * Qui.

275 **Feria 3**

LECTIO **Iac 3,**1-12 *Lingua moderanda*

RESPONSORIUM **Iac 3,**2; **Prov 10,**19

Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir; * Potest enim freno circumducere totum corpus. ℣. In multiloquio non deerit peccatum; qui autem moderatur labia sua prudentissimus est. * Potest.

[Cf. Brev. Cluniac.]

276 **Feria 4**

LECTIO **Iac 3,**13-18 *Sapientia vera et falsa*

RESPONSORIUM **Iac 3,**17-18; **Mt 5,**9

Quae desursum est sapientia, primum quidem pudica est, deinde pacifica. * Fructus iustitiae in pace seminatur, facientibus pacem. ℣. Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. * Fructus.

277 **Feria 5**

LECTIO **Iac 4,**1-13a *Contra concupiscentias*

RESPONSORIUM **Idt 8,**14.16.20; **Iac 4,**6

Quia patiens Dominus est, in hoc ipso paeniteamus: * Humiliemus illi animas nostras, et exspectemus humiles consolationem eius. ℣. Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. * Humiliemus.

[Brev. Paris.]

278 **Feria 6**

LECTIO **Iac 4,**13b-**5,**11 *Iudicium Dei imminens*

RESPONSORIUM **Iac 5,**10.9; **Mt 24,**44

Exemplum accipite, fratres, exitus mali, laboris et patientiae, prophetas qui locuti sunt in nomine Domini. * Ecce iudex ante ianuam assistit. ℣. Et vos estote parati, quia qua nescitis hora Filius hominis venturus est. * Ecce iudex.

279 **Sabbato**

LECTIO **Iac 5**,12-20 *Monita de diversis*

RESPONSORIUM **1 Petr 4**,8; **Iac 5**,20

Mutuam in vobismetipsis caritatem continuam habete, * Quia caritas operit multitudinem peccatorum. ℣. Qui converti fecerit peccatorem ab errore viae suae, salvabit animam eius a morte et operiet multitudinem peccatorum. * Quia.

HEBDOMADA 21 PER ANNUM I

280 **Dominica**

LECTIO **2 Reg 14**,23-24.28b-29 *Regnum Ieroboam II in Israël*
Am 1,1-2; **2**,4-16 *Ira Dei contra Israël et Iuda*

RESPONSORIUM **Am 9**,7-9; **5**,14

Numquid non Israël ascendere feci de terra Aegypti, dicit Dominus. Ecce oculi mei super regnum peccans. * Verumtamen conterens non conteram domum Iacob. ℣. Quaerite bonum et non malum ut vivatis, et erit Dominus Deus vobiscum. * Verumtamen.

281 **Feria 2**

LECTIO **Am 5**,1-4.10-13.16-25 *Planctus super Israël*

RESPONSORIUM **Am 5**,18-20.8

Vae desiderantibus diem Domini! Odi et proieci festivitates vestras et non capiam odorem coetuum vestrorum. * Quaerite Dominum convertentem in mane tenebras. ℣. Dies Domini ista tenebrae et non lux, caligo et non splendor in ea. * Quaerite Dominum.

282 **Feria 3**

LECTIO **Am 7**,1-17 *Visiones ruinae*

RESPONSORIUM **Am 3**,7-8; **7**,15

Non facit Dominus verbum nisi revelaverit secretum suum ad servos suos prophetas. * Dominus locutus est, quis non prophetabit? ℣. Tulit me cum sequerer gregem et dixit ad me: Vade, propheta ad populum meum. * Dominus locutus.

283 **Feria 4**

LECTIO **Am 8,1-12** *Aliae visiones*

RESPONSORIUM **Am 8,11-12; Mt 5,6**

Ecce dies veniunt et mittam famem in terram; non famem panis neque sitim aquae; * Mittam sitim audiendi verbum Domini. ℣. Beati qui esurient et sitient iustitiam, quia saturabuntur. * Mittam sitim.

284 **Feria 5**

LECTIO **Am 9,1-4.7-15** *Salus iustorum*

RESPONSORIUM **Act 15,16-17**

Ut requirant homines Dominum et omnes gentes super quas invocatum est Nomen meum, * Revertar et reaedificabo tabernaculum David, dicit Dominus. ℣. Deus visitavit sumere ex gentibus populum nomini suo, sicut scriptum est. * Revertar.

285 **Feria 6**

LECTIO **Os 1,2-9; 3,1-5** *Nuptiae Domini cum populo suo matrimonio prophetae adumbrantur*

RESPONSORIUM **1 Petr 2,9-10; Rom 9,26**

Vos estis genus electum, regale sacerdotium, * Qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei. ℣. In loco ubi dictum est: Non plebs mea vos, ibi vocabuntur filii Dei vivi. * Qui aliquando.

[Brev. Cluniac.]

286 **Sabbato**

LECTIO **Os 2,4-24** *Sponsae Domini castigatio et futura restitutio*

RESPONSORIUM **Ap 19,7.9; Os 2,20**

Venerunt nuptiae Agni, et uxor eius praeparavit se: * Beati qui ad cenam nuptiarum Agni vocati sunt. ℣. Sponsabo te mihi in fide, et scies quia ego Dominus. * Beati.

[Brev. Paris.]

HEBDOMADA 22 PER ANNUM I

287 **Dominica**

LECTIO **Os 4**,1-3; **10**,1-8; **13**,4-14 *Denuntiatio peccatorum populi Dei*

RESPONSORIUM **Os 13**,14; **1 Cor 15**,55

De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos: * O mors, ero mors tua; morsus tuus ero, inferne. ℣. Ubi est, mors, victoria tua? ubi est, mors, stimulus tuus? * O mors.

288 **Feria 2**

LECTIO **Os 11**,1-9; **14**,2-9 *Misericordia Domini erga populum suum*

RESPONSORIUM **Os 11**,8-9; **Ier 31**,3

Conversum est in me cor meum, pariter conturbata est paenitudo mea: * Non faciam furorem irae meae, quoniam Deus ego et non homo. ℣. In caritate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans. * Non faciam.

289 **Feria 3**

LECTIO **2 Chron 26**,1-6a.15b-23; **27**,1-2 *Regna Oziae et Ioatham in Iuda*

RESPONSORIUM **Num 16**,48; **Eph 5**,2

Stetit pontifex inter mortuos et vivos, habens thuribulum aureum in manu sua, * Et offerens incensi sacrificium placavit iram Dei. ℣. Christus autem tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis. * Et offerens.

290 **Feria 4**

LECTIO **Is 6**,1-13 *Vocatio Isaiae prophetae*

RESPONSORIUM **Ap 4**,8; **Is 6**,3

Animalia requiem non habebant die ac nocte dicentia: Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus omnipotens, qui erat et qui est et qui venturus est, * Plena est omnis terra gloria eius. ℣. Duo Seraphim clamabant alter ad alterum: Sanctus, sanctus, sanctus Dominus exercituum; * Plena.

291 **Feria 5**

LECTIO **2 Chron 27**,9-**28**,16 *Regnum Achaz in Iuda*

RESPONSORIUM **2 Chron 28**,9-10; **Mt 25**,45

Ecce iratus est Dominus patrum vestrorum: Filios Iuda et Ierusalem vultis vobis subicere in servos et ancillas. * Peccastis super hoc Domino Deo vestro. ℣. Quidquid non fecistis uni ex fratribus meis minimis, nec mihi fecistis, dicit Dominus. * Peccastis.

292 **Feria 6**

LECTIO **Is 3**,1-15; **4**,2-6 *Obiurgationes contra Ierusalem et promissiones salutis*

RESPONSORIUM **Is 4**,2; **Ps 84**,13

Erit germen Domini in magnificentia et gloria, * Et fructus terrae erit sublimis. ℣. Etenim Dominus dabit benignitatem, et terra nostra dabit fructum suum. * Et fructus.

293 **Sabbato**

LECTIO **Is 5**,8-13.17-24 *Maledictio iniquorum*

RESPONSORIUM **Lc 6**,25; **Iac 5**,1

Vae vobis qui saturati estis, quia esurietis, dicit Dominus. * Vae vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis et flebitis. ℣. Agite nunc, divites, plorate ululantes in miseriis vestris, quae advenient vobis. * Vae vobis.

HEBDOMADA 23 PER ANNUM I

294 **Dominica**

LECTIO **Is 28**,1-6.14-22 *Vaticinium adversus Samariam et Iudam*

RESPONSORIUM **1 Petr 2**,6-7; **Ps 117**,22

Ecce pono in Sion lapidem summum, angularem, electum, pretiosum: * Qui crediderit in eum non confundetur. ℣. Lapis quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput anguli. * Qui crediderit.

295 **Feria 2**

LECTIO **Is 7**,1-17 *Bellum Iuda adversus Samariam et signum Emmanuelis*

RESPONSORIUM **Is 7**,14; **Lc 1**,30-31

Ecce virgo concipiet, et pariet filium: * Et vocabitur nomen eius Emmanuel, quia nobiscum Deus. ℣. Ne timeas, Maria: Ecce concipies in utero et paries filium. * Et vocabitur.

296 **Feria 3**

LECTIO **Is 9**,8-21; **10**,1-4 *Ira Dei contra regnum Israël*

RESPONSORIUM **Lam 2**,1

Quomodo obtexit caligine in furore suo Dominus filiam Sion: * Proiecit de caelo in terram inclytam Israël. ℣. Non est recordatus scabelli pedum suorum, in die furoris sui. * Proiecit.

297 **Feria 4**

LECTIO **Mich 1**,1-7; **3**,1-12 *Iudicium Dei super peccata populi sui*

RESPONSORIUM **Mich 3**,12; **Mc 13**,2

Sion vestri causa quasi ager arabitur: * Et Ierusalem quasi acervus lapidum erit, et mons templi in excelsa silvarum. ℣. Non relinquetur lapis super lapidem, qui non destruatur. * Et Ierusalem.

298 **Feria 5**

LECTIO **Mich 6**,1-15 *Dominus lite cum populo suo contendit*

RESPONSORIUM **Mich 6**,8; **Ps 36**,3

Indicabo tibi, homo, quid sit bonum, aut quid Dominus requirat a te: * Fac iudicium et iustitiam, et sollicite ambula cum Deo tuo. ℣. Spera in Domino, et fac bonitatem, et inhabita terram. * Fac.

299 **Feria 6**

Lectio **2 Reg 17,**1-23 *Finis regni Israël*

Responsorium **Eccli 48,**16-18

Non paenituit populus et non recesserunt a praeceptis suis, usque dum eiecti sunt de terra sua, * Et dispersi sunt in omnem terram, et relicta est gens perpauca. ℣. Quidam eorum fecerunt quod placeret Deo, alii autem multa commiserunt peccata. * Et dispersi.

300 **Sabbato**

Lectio **2 Reg 17,**24-41 *Origo Samaritanorum*

Responsorium **2 Reg 17,**38-39; **Dt 6,**4

Pactum quod percussit Dominus vobiscum nolite oblivisci, nec colatis deos alienos: * Dominum Deum vestrum timete, et ipse eruet vos de manu inimicorum vestrorum. ℣. Audi, Israel: Dominus Deus noster Deus unus est. * Dominum.

HEBDOMADA 24 PER ANNUM I

301 **Dominica**

Lectio **2 Chron 29,**1-11.16.27-31.36; **30,**6-9.13-14 *Instauratur cultus Domini tempore Ezechiae, filii Achaz regis Iuda*

Responsorium **2 Chron 29,**4-5; **1 Cor 3,**17

Dixit Ezechias ad sacerdotes et levitas: Auferte immunditiam de sanctuario, * Sanctificamini, mundate domum Domini. ℣. Templum Dei sanctum est, quod estis vos. * Sanctificamini.

302 **Feria 2**

Lectio **2 Reg 20,**1-19 *Isaias propheta apud Ezechiam regem*

Responsorium **Is 38,**10.12.17

Ego dixi: In dimidio annorum meorum vadam ad portas inferi. * Tu autem eruisti animam meam, ut non periret. ℣. Praecisa est velut a texente vita mea, dum adhuc ordirer succidit me. * Tu autem.

303 **Feria 3**

LECTIO **Is 22**,1-14 *Contra falsam fiduciam populi Dei*

RESPONSORIUM **Ioel 2**,12-13

Convertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio et in fletu et in planctu; * Scindite corda vestra, et non vestimenta vestra. ℣. Convertimini ad Dominum Deum vestrum, quia benignus et misericors est. * Scindite.

[Brev. Cluniac.]

304 **Feria 4**

LECTIO **Is 30**,1-17 *Vanitas foederis cum populis alienis*

RESPONSORIUM **Is 30**,15.18

Si revertamini et quiescatis, salvi eritis. * In silentio et in spe erit fortitudo vestra. ℣. Exspectat Dominus ut misereatur vestri, beati omnes qui exspectant eum. * In silentio.

305 **Feria 5**

LECTIO **2 Chron 32**,1-22 *Ierusalem ab Assyriis obsidetur et mirabiliter liberatur*

RESPONSORIUM **Eccli 48**,22-23

Invocaverunt Dominum misericordem, et expandentes manus suas extulerunt ad caelum, et Sanctus Dominus Deus non est commemoratus peccatum eorum. * Sed purgavit eos in manu Isaiae sancti prophetae. ℣. Audivit cito vocem eorum, neque dedit illos inimicis suis. * Sed.

[Brev. Cluniac.]

306 **Feria 6**

LECTIO **2 Chron 33**,1-**34**,1 *Regna impiorum Manasse et Amon*

RESPONSORIUM **2 Chron 33**,9-11

Manasses seduxit habitatores Ierusalem ut facerent malum. * Idcirco superinduxit eis Dominus principes exercitus regis Assyriorum. ℣. Locutus est Dominus ad Manassen et ad populum illum et attendere noluerunt. * Idcirco superinduxit.

[Brev. Cluniac.]

307 **Sabbato**

LECTIO **Soph 1**,14-18.4-7; **2**,1-3 *Iudicium Domini*

RESPONSORIUM **Soph 2**,3; **Lc 6**,20

Quaerite Dominum, omnes mansueti terrae, qui iudicium eius estis operati. * Quaerite iustitiam, quaerite mansuetudinem. ℣. Beati pauperes quia vestrum est regnum Dei. * Quaerite iustitiam.

HEBDOMADA 25 PER ANNUM I

308 **Dominica**

LECTIO **Soph 3**,9-20 *Salus pauperibus Israël promittitur*

RESPONSORIUM **Soph 3**,14.12

Lauda, filia Sion, iubila Israël. * Laetare et exsulta, filia Ierusalem. ℣. Relinquam in medio tui populum humilem, et sperabunt in nomine Domini reliquiae Israël. * Laetare.

309 **Feria 2**

LECTIO **Ier 1**,1.4-19 *Vocatio Ieremiae prophetae*

RESPONSORIUM **Ier 1**,5.9; **Is 42**,6

Priusquam te formarem in utero novi te, et antequam exires de vulva sanctificavi te. * Et dedi verba mea in ore tuo. ℣. Ego Dominus vocavi te in iustitia et dedi te in foedus populi, in lumen gentium. * Et dedi verba mea.

310 **Feria 3**

LECTIO **Ier 4**,5-8.13-14.19-28 *Vastator ab aquilone venturus*

RESPONSORIUM **Ier 4**,26-27.; **8**,18; **Ps 84**,5

A facie furoris tui, Deus, conturbata est omnis terra: sed tu, Domine, miserere. * Et ne facias consummationem. ℣. Converte nos, Deus salutaris noster, et averte iram tuam a nobis. * Et ne facias.

311 **Feria 4**

LECTIO **2 Chron 34**,2-21 *Opus renovationis tempore Iosiae et inventio libri Legis*

RESPONSORIUM **Ier 22**,16; **2 Chron 34**,2

Iudicavit Iosias causam pauperis et egeni. * Numquid non ideo quia cognovit me? dicit Dominus. ℣. Fecit quod erat rectum in conspectu Domini et ambulavit in viis David. * Numquid non ideo.

312 **Feria 5**

LECTIO **2 Reg 23**,1-15.19-23; **Ier 11**,1-8 *Promulgatio Legis et purgatio cultus*

RESPONSORIUM **Ier 11**,4; **Io 15**,10

Audite vocem meam, et facite omnia quae praecipio vobis. * Et eritis mihi in populum, et ego ero vobis in Deum. ℣. Si praecepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea. * Et eritis mihi.

313 **Feria 6**

LECTIO **Nah 1**,2-8; **3**,1-7.12-15 *Dei iudicium in Niniven*

RESPONSORIUM **Nah 1**,6-7; **Rom 5**,9

Ante faciem indignationis Dei quis stabit? Et quis resistet in ira furoris eius? * Bonus Dominus et sciens sperantes in se. ℣. Iustificati in sanguine Christi, salvi erimus ab ira per ipsum. * Bonus Dominus.

314 **Sabbato**

LECTIO **2 Chron 35**,20-24; **36**,1-21 *Finis regni Iuda*

RESPONSORIUM **Neh 9**,29-30

Protraxisti super eos annos multos et contestatus es eos, ut reverterentur ad legem tuam; ipsi vero superbe egerunt, et non audierunt. * Et tradidisti eos in manu populorum terrarum. ℣. In iudiciis tuis peccaverunt; dederunt humerum recedentem, et cervicem induraverunt. * Et tradidisti.

[Brev. Cluniac.]

HEBDOMADA 26 PER ANNUM I

315 **Dominica**

LECTIO **Ier 22**,1-5.13-19 *Vaticinia de Iosia eiusque successoribus*

RESPONSORIUM **Ier 22**,3; **Mt 20**,26

Reges, facite iudicium et iustitiam et liberate oppressum de manu calumniatoris. * Advenam et pupillum et viduam nolite contristare. ℣. Qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus. * Advenam.

316 **Feria 2**

LECTIO **Hab 1**,1-**2**,4 *Oratio tempore desolationis*

RESPONSORIUM **Hebr 10**,37-39

Adhuc modicum aliquantulum: qui venturus est veniet et non tardabit. * Iustus autem meus ex fide vivit. ℣. Nos autem non sumus subtractionis filii in perditionem, sed fidei in acquisitionem animae. * Iustus autem.

317 **Feria 3**

LECTIO **Hab 2**,6-20 *Maledictiones contra oppressores*

RESPONSORIUM **Rom 2**,13; **3**,23; **11**,32

Quicumque sine lege peccaverunt sine lege peribunt, et quicumque in lege peccaverunt per legem iudicabuntur. * Omnes enim peccaverunt et egent gloria Dei. ℣. Conclusit Deus omnia in incredulitatem, ut omnium misereatur. * Omnes enim.

318 **Feria 4**

LECTIO **Ier 19**,1-11.14-15; **20**,1-6 *Actio symbolica: laguncula fracta*

RESPONSORIUM **Mt 23**,37; **Ier 19**,15

Ierusalem quae occidis prophetas et lapidas eos qui ad te missi sunt. * Quoties volui congregare filios tuos, et noluisti. ℣. Indurasti cervicem tuam, ut non audires sermones meos. * Quoties volui.

319 **Feria 5**

LECTIO **Ier 25**,1-11; **36**,1-6.10.21-23.27-32 *Vaticinia contra gentes et Iudam prolata et lecta coram rege*

RESPONSORIUM **Ier 25**,4-5; **Io 8**,47

Misit Dominus ad vos omnes servos prophetas, et non audistis. * Revertimini unusquisque a via sua mala. ℣. Qui ex Deo est, verba Dei audit. Propterea vos non auditis quia ex Deo non estis. * Revertimini.

320 **Feria 6**

LECTIO **Ier 27**,2-6; **28**,1-17 *Iugum Babylonis ferendum*

RESPONSORIUM **Dt 28**,15.48.64

Si audire nolueris vocem Domini Dei tui, servies inimico tuo, quem immittet tibi Dominus. * Et ponet iugum ferreum super cervicem tuam. ℣. Disperget te Dominus in omnes populos a summitate terrae usque ad terminos eius. * Et ponet iugum.

321 **Sabbato**

LECTIO **Ier 29**,1.4-14.16-20 *Epistola Ieremiae ad captivos*

RESPONSORIUM **Ier 29**,13-14; **Mt 7**,7

Quaeretis me et invenietis, cum quaesieritis me in toto corde vestro. * Et inveniar a vobis, ait Dominus. ℣. Quaerite, et invenietis; pulsate, et aperietur vobis. * Et inveniar.

HEBDOMADA 27 PER ANNUM I

322 **Dominica**

LECTIO **Ier 24**,1-10 *Visio de duobus calathis ficorum*

RESPONSORIUM **Ier 24**,6; **31**,12

Ponam oculos meos super eos ad placandum, et reducam eos in terram hanc. * Et plantabo eos et non evellam. ℣. Venient et laudabunt in monte Sion, et confluent ad bona Domini. * Et plantabo.

323 **Feria 2**

LECTIO **Ier 38**,1-20.24-28; **39**,1-2.11-12.14 *Tribulationes Ieremiae*

RESPONSORIUM **2 Cor 6**,4-5; **Idt 8**,23

Exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros in multa patientia, in tribulationibus, * In necessitatibus, in angustiis, in plagis, in carceribus. ℣. Omnes qui placuerunt Deo, per multas tribulationes transierunt fideles. * In necessitatibus.

[Brev. Paris.]

324 **Feria 3**

LECTIO **Ier 33**,2.7-18 *Promissiones salutis*

RESPONSORIUM **Ier 33**,15; **Lc 1**,32

In diebus illis germinare faciam David germen iustitiae. * Et faciet iudicium et iustitiam in terra. ℣. Dabit illi Dominus Deus sedem David patris eius. * Et faciet.

325 **Feria 4**

LECTIO **Ier 31**,15-22.27-28.31-37 *Salus et foedus novum praenuntiantur*

RESPONSORIUM **Ier 31**,33-34; **Ez 36**,26

Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam. * Et dabo eis cor novum, et spiritum novum ponam in medio eorum. ℣. Omnes cognoscent me, a minimo eorum usque ad maximum. * Et dabo eis.

326 **Feria 5**

LECTIO **Ier 40**,6-7; **41**,1-2; **42**,1-3.7-18; **43**,4-6 *Ieremias et populus post captam urbem.*

RESPONSORIUM **Ier 42**,2; **Lam 5**,3

Ora pro nobis ad Dominum Deum tuum pro universis reliquiis istis. * Quia derelicti sumus pauci de pluribus. ℣. Pupilli facti sumus absque patre, matres nostrae quasi viduae. * Quia derelicti.

327 **Feria 6**

LECTIO **Ez 1**,3-14.22-28; **3**,12-15 *Visio gloriae Domini in terra exsilii*

RESPONSORIUM **Ez 1**,26; **3**,12; **Ap 5**,13

Vidi super similitudinem throni quasi aspectum hominis desuper. Et audivi vocem commotionis magnae: * Benedicta gloria Domini de loco suo. ℣. Sedenti in throno et Agno benedictio et honor et gloria et potestas in saecula saeculorum. * Benedicta.

328 **Sabbato**

LECTIO **Ez 2**,1b-3.8; **3**,16-21 *Vocatio Ezechielis*

RESPONSORIUM **Ez 3**,17; **2,8**; **3**,8

Speculatorem dedi te domui Israel, et audies de ore meo verbum et annuntiabis eis ex me. * Tu ergo ne timeas eos, et noli esse exasperans. ℣. Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, et frontem tuam duriorem frontibus eorum. * Tu ergo.

HEBDOMADA 28 PER ANNUM I

329 **Dominica**

LECTIO **Ez 5**,1-17 *Actione symbolica destructio Ierusalem adumbratur*

RESPONSORIUM **Lc 13**,34; **Ez 5**,14

Ierusalem, Ierusalem, quae occidis prophetas, * Quoties volui congregare filios tuos et noluisti. ℣. Dabo te in desertum et in opprobrium gentibus quae in circuitu tuo sunt. * Quoties.

330 **Feria 2**

LECTIO **Ez 8**,1-5.10-12; **9**,1-11 *Iudicium in Ierusalem peccatricem*

RESPONSORIUM **Mt 24**,15.21.22; **Ez 9**,5

Cum videritis abominationem desolationis stantem in loco sancto, erit tribulatio magna qualis non fuit neque fiet, * Sed propter electos breviabuntur dies illi. ℣. Dixit Dominus: Transite et percutite, non parcat oculus vester neque misereamini. * Sed.

331 **Feria 3**

LECTIO **Ez 10**,1-10.15-20; **11**,22-23 *Gloria Domini civitatem damnatam derelinquit*

RESPONSORIUM **Ez 10**,4.18; **Mt 23**,37-38

Elevata est gloria Domini desuper cherub ad limen domus, repleta est domus nube et atrium repletum est splendore gloriae Domini, * Et egressa est gloria Domini a limine templi. ℣. Ierusalem, quoties volui congregare filios tuos, et noluisti. Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. * Et egressa est.

332 **Feria 4**

LECTIO **Ez 12**,1-16 *Actione symbolica transmigratio populi adumbratur*

RESüONSORIUM **Ez 12**,15; **Ps 88**,31.33

Quando dispersero illos in gentibus et disseminavero eos in terris, * Scient quia ego Dominus. ℣. Si derelinquerint legem meam, et in iudiciis meis non ambulaverint, visitabo in virga iniquitates eorum. * Scient.

333 **Feria 5**

LECTIO **Ez 13**,1-16.21-23 *Vaticinium contra pseudoprophetas*

RESPONSORIUM **Mt 7**,15; **24**,11.24

Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium * Intrinsecus autem sunt lupi rapaces. ℣. Multi pseudoprophetae surgent et dabunt signa et seducent multos. * Intrinsecus.

334 **Feria 6**

LECTIO **Ez 14**,12-23 *Salus iustorum et ruina peccatorum*

RESPONSORIUM **Gal 6**,4.5; **Ez 14**,20

Opus suum probet unusquisque, et sic in semetipso tantum gloriam habebit, et non in altero. * Unusquisque enim onus suum portabit. ℣. Si Noe et Daniel et Iob fuerint in medio terrae, quae peccaverit, filium et filiam non liberabunt. * Unusquisque.

335 **Sabbato**

LECTIO **Ez 15**,1-3; **19**,10-14 *Ruina populi sub imagine vineae*

RESPONSORIUM **Io 15**,6.5.7

Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, et in ignem mittent et ardet, * Quia sine me nihil potestis facere. ℣. Si manseritis in me et verba mea in vobis manserint, quodcumque volueritis petetis, et fiet vobis. * Quia.

HEBDOMADA 29 PER ANNUM I

336 **Dominica**

LECTIO **Ez 16**,3-19.35-39.42-43.60-63 *Ierusalem sponsa Domini adultera*

RESPONSORIUM **Is 54**,6.8; **Ez 16**,60

Ut mulierem derelictam vocavi te; in momento indignationis abscondi faciem meam. * In misericordia sempiterna misertus sum tui, dicit Redemptor Dominus. ℣. Recordabor pacti mei tecum in diebus adolescentiae tuae, et suscitabo tibi pactum sempiternum. * In misericordia.

337 **Feria 2**

LECTIO **Ez 17**,3-15.19-24 *Vaticinium de ruina et restitutione*

RESPONSORIUM **Ez 17**,23; **Mt 13**,31-32

In monte sublimi Israël plantabo illud et erit in cedrum magnam, * Et universum volatile sub umbra frondium eius nidificabit. ℣. Simile est regnum caelorum grano sinapis, quod minimum est omnibus seminibus; cum autem creverit, fit arbor, * Et universum.

338 **Feria 3**

LECTIO **Ez 18**,1-13.20-32 *Unusquisque pro actis suis retributionem accipiet*

RESPONSORIUM **Ier 31**,29.30; **Ez 18**,20.30

Non dicent ultra: Patres comederunt uvam acerbam, et dentes filiorum obstupescunt; * Anima quae peccaverit, ipsa morietur. ℣. Unumquemque iuxta vias suas iudicabo, filius non portabit iniquitatem patris, et pater non portabit iniquitatem filii. * Anima

[Cf. Brev. Cluniac.]

339 **Feria 4**

LECTIO **Ez 21**,1-17 *Symbolum gladii*

RESPONSORIUM **Hebr 4**,12; **Ap 19**,13.15

Vivus est sermo Dei et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, * Pertingens usque ad divisionem animae et spiritus. ℣. Vocatur nomen eius Verbum Dei, et de ore eius procedit gladius ex utraque parte acutus, * Pertingens.

340 **Feria 5**

LECTIO **Ez 24**,15-24; **33**,1-9 *Vita prophetae signum est pro populo*

RESPONSORIUM **Dan 6**,26-27; **Ez 24**,24

Dominus ipse est Deus, vivens et aeternus in saecula, ipse liberator et salvator, * Faciens signa et mirabilia in caelo et in terra. ℣. Erit Ezechiel vobis in portentum: iuxta omnia quae fecit facietis, et scietis quia ego Dominus Deus, * Faciens.

341 **Feria 6**

LECTIO **Ez 26**,1-6; **27**,3b-4.25-36; **28**,12-19 *Vaticinia contra Tyrum, civitatem superbam*

RESPONSORIUM **Is 14**,11.19; **Ez 28**,17

Detracta est ad inferos superbia tua, concidit cadaver tuum, * Proiectus es quasi stirps inutilis. ℣. Elevatum est cor tuum in decore tuo, perdidisti sapientiam tuam in decore tuo, in terram proieci te. * Proiectus es.

[Cf. Brev. Cluniac.]

342 **Sabbato**

LECTIO **Ez 34**,1-6.11-16.23-31 *Israël grex Domini*

RESPONSORIUM **Ez 34**,12-14; **Io 10**,9

Liberabo oves meas de omnibus locis in quibus dispersae fuerant in die nubis et caliginis, et inducam eas in terram suam. * In pascuis uberrimis pascam eas. ℣. Per me si quis introierit, salvabitur, et pascua inveniet. * In.

[Cf. Brev. Paris. et Cluniac.]

HEBDOMADA 30 PER ANNUM I

343 **Dominica**

LECTIO **Ez 36**,16-36 *Promissio restitutionis et intimae renovationis*

RESPONSORIUM **Ez 11**,19-20

Auferam cor lapideum de carne eorum, et dabo eis cor carneum: * Ut in praeceptis meis ambulent, et sint mihi in populum, et ego eis in Deum. ℣. Dabo eis cor novum, et spiritum novum tribuam in visceribus eorum. * Ut in praeceptis.

344 **Feria 2**

LECTIO **Ez 37**,1-14 *Visio de resurrectione populi*

RESPONSORIUM **Ez 37**,12.14; **Io 11**,25

Ecce ego aperiam tumulos vestros: educam vos de sepulcris vestris. * Et dabo spiritum meum in vobis. ℣. Ego sum resurrectio et vita: Qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, vivet. * Et dabo.

345 **Feria 3**

LECTIO **Ez 38**,1-7.14-23; **39**,8-10.17-20 *Visio de novissimis diebus*

RESPONSORIUM **Ez 38**,19; **Mt 24**,27

In zelo meo et in igne irae meae locutus sum: * In die illa erit commotio magna super terram Israël. ℣. Sicut fulgur exit ab Oriente et paret usque ad Occidentem, ita erit et adventus Filii hominis. * In die illa.

346 **Feria 4**

LECTIO **Ez 40**,1-4; **43**,1-3; **47**,1-12 *Visio de restauratione templi et Israël*

RESPONSORIUM **Ez 43**,4-5; **Lc 2**,27

Maiestas Domini ingressa est templum per viam portae quae respiciebat ad orientem. * Et ecce repleta erat gloria Domini domus. ℣. Induxerunt puerum Iesum parentes eius in templum. * Et ecce.

347 **Feria 5**

LECTIO **Esdr 1**,1-11; **2**,68-70 *Liberatio populi et reditus captivorum*

RESPONSORIUM **Is 48**,20; **40**,1

Auditum facite hoc, et efferte illud usque ad extremum terrae: * Redemit Dominus servum suum Iacob. ℣. Consolamini, consolamini, popule meus, dicit Deus vester. * Redemit.

348 **Feria 6**

LECTIO **Esdr 3**,1-11; **4**,1-5.24; **5**,1 *Restauratio cultus et oppugnatio adversariorum*

RESPONSORIUM **Ps 84**,1-3.5

Benedixisti, Domine, terram tuam; avertisti captivitatem Iacob. * Converte nos, Deus, salutaris noster, et averte iram tuam a nobis. ℣. Remisisti iniquitatem plebis tuae; operuisti omnia peccata eorum. * Converte nos.

349 **Sabbato**

LECTIO **Agg 1**,1-2,4 *Vaticinia de templo iterum aedificando*

RESPONSORIUM **Agg 1**,9; **Is 56**,7

Ascendite in montem, et aedificate domum: * Et acceptabilis mihi erit, dicit Dominus. ℣. Domus mea, domus orationis vocabitur cunctis gentibus. * Et acceptabilis.

HEBDOMADA 31 PER ANNUM I

350 **Dominica**

LECTIO **Zach 1**,7-17; **2**,5-9 *Visio de Ierusalem reaedificanda*

RESPONSORIUM **Zach 1**,16; **Ap 21**,23

Revertar ad Ierusalem in misericordiis: * Domus mea aedificabitur in ea. ℣. Civitas non eget sole neque luna, nam lucerna eius est Agnus. * Domus mea.

351 **Feria 2**

LECTIO **Esdr 5**,2-5; **6**,1-7.13-22 *Aedificatio templi et celebratio Paschae*

RESPONSORIUM **Agg 2**,7-8.10

Ego commovebo caelum et terram: * Et veniet desideratus cunctis gentibus. ℣. Magna erit gloria domus istius, et in loco isto dabo pacem. * Et veniet.

352 **Feria 3**

LECTIO **Zach 4**,1-10; **3**,1-7 *Promissiones ad Zorobabel principem et Iesum sacerdotem*

RESPONSORIUM **Ap 11**,3-4

Hi sunt duae olivae et duo candelabra, * In conspectu Domini terrae stantes. ℣. Dabit Dominus duobus testibus, et prophetabunt. * In conspectu.

353 **Feria 4**

LECTIO **Esdr 7**,1-8.11-18.25-28; **8**,31-32.35-36 *Missio Esdrae sacerdotis*

RESPONSORIUM **Dan 3**,52.53 (cf. **Esdr 7**,27)

Benedictus es, Domine patrum nostrorum: * Et laudabilis et gloriosus et superexaltatus in saecula. ℣. Benedictus es in templo sancto gloriae tuae. * Et laudabilis.

354 **Feria 5**

LECTIO **Esdr 9**,1a.2-7.10-11.15; **10**,1-3.10-12.16-17 *Sanctificatio coniugiorum*

RESPONSORIUM **Esdr 9**,6.10; **Ps 129**,3

Iniquitates nostrae multiplicatae sunt super caput nostrum, et delicta nostra creverunt usque ad caelum: * Quia dereliquimus mandata tua. ℣. Si iniquitates observaveris, Domine, Domine quis sustinebit? * Quia.

355 **Feria 6**

LECTIO **Neh 1**,1-4; **2**,1-18 *Prima legatio Nehemiae*

RESPONSORIUM **Neh 1**,5.6.11

Domine Deus caeli, fortis, magne et terribilis, fiant aures tuae auscultantes: * Ut audias orationem servi tui. ℣. Obsecro, Domine, sit auris tua attendens. * Ut audias.

356 **Sabbato**

LECTIO **Neh 4**,6-23 *Aedificatio muri Ierusalem*

RESPONSORIUM **Is 25**,4; **Ps 45**,2

Factus es, Domine, fortitudo pauperi, fortitudo egeno in tribulatione sua: * Spes a turbine, umbraculum ab aestu. ℣. Deus noster refugium et virtus, adiutor in tribulationibus quae invenerunt nos nimis. * Spes a turbine.

HEBDOMADA 32 PER ANNUM I

357 **Dominica**

LECTIO **Neh 8**,1-18 *Sollemnis praelectio legis ab Esdra facta*

RESPONSORIUM **Ps 18**,8.9; **Rom 13**,8.10

Lex Domini immaculata, convertens animas; testimonium Domini fidele, sapientiam praestans parvulis. * Iustitiae Domini rectae, laetificantes corda; praeceptum Domini lucidum, illuminans oculos. ℣. Qui diligit proximum, legem implevit; plenitudo legis est dilectio. * Iustitiae.

358 **Feria 2**

LECTIO **Neh 12**,27-39.41b-44 *Dedicatio muri Ierusalem*

RESPONSORIUM **Is 26**,1; **Ps 47**,3

Urbs fortitudinis nostrae Sion; * Salvator ponetur in ea murus et antemurale. ℣. Fundatur exsultatione universae terrae mons Sion, civitas regis magni. * Salvator.

359 **Feria 3**

LECTIO **Mal 1,6-2,9** *Vaticinium contra sacerdotes infideles*

RESPONSORIUM **Mal 2,5-6; Ps 109,4**

Pactum meum fuit cum sacerdote vitae et pacis, et dedi ei timorem et timuit me: * Lex veritatis fuit in ore eius; et iniquitas non est inventa in labiis eius. ℣. Iuravit Dominus et non paenitebit eum: Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech. * Lex.

[Cf. Brev. Paris.]

360 **Feria 4**

LECTIO **Ion 1,1-2,1.11** *Ionae vocatio, fuga, naufragium*

RESPONSORIUM **Mt 12,40; Mc 9,30**

Sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde terrae; * Et tertia die resurget. ℣. Filius hominis tradetur in manus hominum et occident eum. * Et tertia.

[Cf. Brev. Cluniac.]

361 **Feria 5**

LECTIO **Ion 3,1-4,11** *Ninivitarum conversio et Ionae cum Deo disceptatio*

RESPONSORIUM **Mt 12,11; Ion 3,5.10**

Viri Ninivitae surgent in iudicio cum generatione ista, et condemnabunt eam, * Quia paenitentiam egerunt in praedicatione Ionae. ℣. Crediderunt in Deum, vestiti sunt saccis, et conversi sunt de via sua mala. * Quia paenitentiam.

[Brev. Cluniac.]

362 **Feria 6**

LECTIO **Zach 11,4-17; 13,7-9** *Parabola de pastoribus*

RESPONSORIUM **Mt 26,31; Zach 13,7**

Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte; scriptum est enim: * Percutiam pastorem, et dispergentur oves gregis. ℣. Framea, suscitare super pastorem meum, et super virum cohaerentem mihi, dicit Dominus. * Percutiam.

[Cf. Brev. Paris.]

363 **Sabbato**

LECTIO **Zach 14,**1-11.16-21 *Tribulationes et gloria in tempore novissimo*

RESPONSORIUM **Zach 13,**1; **14,**8; **Io 19,**34

In die illa exibunt aquae vivae de Ierusalem et erit fons patens domui David * In ablutionem peccatoris. ℣. Unus militum lancea latus Iesu aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua. * In.

[Brev. Paris.]

HEBDOMADA 33 PER ANNUM I

364 **Dominica**

LECTIO **1 Mach 1,**1-25 *Victoria et superbia Graecorum*

RESPONSORIUM **2 Macc 7,**33; **6,**16

Si nobis propter increpationem et correptionem Dominus Deus noster modicum iratus est, * Iterum reconciliabitur servis suis. ℣. Numquam a nobis misericordiam suam amovet; corripiens vero in adversis, populum suum non derelinquet. * Iterum.

365 **Feria 2**

LECTIO **Dan 9,**3-19 *Oratio Danielis in persecutione*

RESPONSORIUM **Bar 2,**16; **Dan 9,**18; **Ps 79,**2

Aspice, Domine, de sede sancta tua, et cogita de nobis: inclina, Deus meus aurem tuam et audi, * Aperi oculos tuos et vide tribulationem nostram. ℣. Qui regis Israel, intende, qui deducis velut ovem Ioseph. * Aperi.

[Brev. Rom.]

366 **Feria 3**

LECTIO **1 Mach 1,**43-61 *Persecutio Antiochi*

RESPONSORIUM **Dan 9,**18.17

Aperi oculos tuos, Domine, et vide afflictionem nostram: circumdederunt nos gentes ad puniendum nos: * Tu Domine, extende brachium tuum et libera animas nostras. ℣. Ostende faciem tuam super sanctuarium tuum, propter temetipsum, * Tu Domine.

[Brev. Rom.]

367 **Feria 4**

LECTIO 2 **Mach 7**,1-19; 24b-33 *Martyrium septem fratrum*

RESPONSORIUM **Sap 3**,6.9

Tamquam aurum in fornace probavit electos Dominus, et quasi holocausti hostiam accepit illos, et in tempore erit respectus illorum, * Quoniam donum et pax est electis Dei. ℣. Qui confidunt in illum intelligent veritatem, et fideles in dilectione acquiescent illi. * Quoniam.

[Brev. Rom.]

368 **Feria 5**

LECTIO **Dan 10**,2-12.14; **12**,1-4.10.13 *Prophetia de novissimo die et de resurrectione*

RESPONSORIUM **Lc 20**,35-36.38

Illi qui digni habebuntur resurrectione ex mortuis, non ultra mori poterunt: aequales angelis erunt, * Filii sunt Dei, cum sint filii resurrectionis. ℣. Deus autem non est mortuorum, sed vivorum: omnes enim vivunt ei. * Filii.

369 **Feria 6**

LECTIO 1 **Mach 2**,1.15-28.42-50.65-70; **3**,1-2 *Mathathiae seditio et mors*

RESPONSORIUM 1 **Mach 2**,51.64

Mementote operum patrum quae fecerunt in generationibus suis, * Et accipietis gloriam magnam et nomen aeternum. ℣. Vos ergo, filii, confortamini et viriliter agite in lege, quia in ipsa gloriosi eritis. * Et.

370 **Sabbato**

LECTIO 2 **Mach 8**,1-9a.12-19.23-24.28-29 *Victoria Iudae in Nicanorem*

RESPONSORIUM **Eph 6**,12.14.13

Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, contra spiritualia nequitiae in caelestibus. * State ergo succincti lumbos vestros in veritate. ℣. Accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo, et in omnibus perfecti stare. * State.

HEBDOMADA. 34 SEU ULTIMA PER ANNUM I

371 Dominica DNIC universorum Regis

LECTIO **Dan 2,**1-2a.10-12.19.23-47 *Visio statuae et lapidis*

RESPONSORIUM **Dan 2,**44; **Lc 20,**17-18

Suscitabit Deus caeli regnum quod in aeternum non dissipabitur; comminuet et consumet universa regna, * Et ipsum Dei regnum stabit in aeternum. ℣. Lapidem quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput anguli; super quem autem ceciderit lapis ille, comminuet illum, * Et ipsum.

372 Feria 2

LECTIO **1 Mach 6,**1-17 *Finis Antiochi*

RESPONSORIUM **Lc 1,**51-52; **14,**11; **18,**14

Fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui. * Deposuit Dominus potentes de sede, et exaltavit humiles. ℣. Quia omnis qui se exaltat humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur. * Deposuit.

373 Feria 3

LECTIO **2 Mach 1,**10; **2,**16-19; **10,**1-8 *Purificatio Templi. Ex epistola ad Iudaeos in Aegypto*

RESPONSORIUM **2 Mach 14,**35; **1 Mach 7,**37

Tu, Domine universorum, qui nullam habes indigentiam, voluisti templum tuum fieri in nobis, * Conserva domum istam immaculatam in aeternum, Domine. ℣. Tu elegisti, Domine, domum istam ad invocandum nomen tuum in ea, ut esset domus orationis et obsecrationis populo tuo. * Conserva.

[Brev. Rom.]

374 Feria 4

LECTIO **2 Mach 12,**32-46 *Sacrificium pro mortuis*

RESPONSORIUM **2 Mach 12,**45-46

Illi qui cum pietate dormitionem acceperunt, * Optimam habebunt repositam gratiam. ℣. Sancta et salubris est cogitatio pro defunctis exorare ut a peccatis solvantur. * Optimam.

375 **Feria 5**

LECTIO **1 Mach 9**,1-22 *Mors Iudae*

RESPONSORIUM **1 Mach 4**,8-10

Impetum inimicorum ne timueritis: memores estote, quomodo salvi facti sunt patres nostri: * Et nunc clamemus in caelum et miserebitur nostri Deus noster. ℣. Mementote mirabilium eius quae fecit Pharaoni et exercitui eius in Mari Rubro. * Et nunc.

[Brev. Rom.]

376 **Feria 6**

LECTIO **1 Mach 13**,1-10; **14**,4-5 *Opus Simonis et laus eiusdem*

RESPONSORIUM **1 Chron 29**,11; **Eccli 50**,25; **2 Mach 1**,24

Tua est potentia, tuum regnum, Domine: tu es super omnes gentes. * Da pacem, Domine, in diebus nostris. ℣. Creator omnium, Deus, terribilis et fortis, iustus et misericors. * Da pacem.

[Brev. Rom.]

377 **Sabbato**

LECTIO **Dan 7**,1-19.23.27 *Visiones Danielis*

RESPONSORIUM **Mc 13**,26-27; **14**,62

Videbitis Filium hominis venientem in nubibus cum virtute magna et gloria; et tunc mittet angelos suos. * Et congregabit electos suos a quattuor ventis, a summo terrae ad summum caeli. ℣. Videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei et venientem cum nubibus caeli. * Et congregabit.

HEBDOMADA 1 PER ANNUM II

378 **Feria 2**

LECTIO **Gen 1**,1-**2**,4a *Caeli et terrae creatio*

RESPONSORIUM **Ps 32**,6.8; **Io 1**,3

Verbo Domini caeli firmati sunt, et Spiritu oris eius omnis virtus eorum. * Timeat Dominum omnis terra. ℣. Omnia per ipsum facta sunt et sine ipso factum est nihil quod factum est. * Timeat.

379 **Feria 3**

LECTIO **Gen 2,**4b-9.15-25 *Creatio hominis in Paradiso*

RESPONSORIUM **1 Cor 15,**46-47.49

Factus est primus homo Adam in animam viventem, novissimus Adam in spiritum vivificantem. * Primus homo de terra, terrenus; secundus homo de caelo, caelestis. ℣. Sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem caelestis. * Primus.

380 **Feria 4**

LECTIO **Gen 3,**1-24 *Peccatum Adae*

RESPONSORIUM **Rom 5,**12.20-21

Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors. * Ubi abundavit delictum, superabundavit gratia. ℣. Sicut regnavit peccatum in mortem, ita et gratia regnet per iustitiam in vitam aeternam. * Ubi.

381 **Feria 5**

LECTIO **Gen 4,**1-19.23-24 *Regnavit peccatum in mortem super filios hominum*

RESPONSORIUM **1 Io 2,**12; **Sap 10,**3

Cain ex maligno erat et occidit fratrem suum, * Quoniam opera eius maligna erant, fratris autem eius iusta. ℣. A sapientia ut recessit iniustus in ira sua per iram homicidii fraterni deperiit. * Quoniam.

[Brev. Cluniac.]

382 **Feria 6**

LECTIO **Gen 6,**5-8.13-16; **7,**1.5.10.12.17b.22-23; **8,**1-3a.6-12.13b.20-22 *Iudicium Dei per diluvium*

RESPONSORIUM **2 Petr 2,**9; **Mt 24,**37.39

Novit Dominus pios de tentatione eripere, iniquos vero in diem iudicii reservare cruciandos: * Sicut in diebus Noë, ita erit adventus Filii hominis. ℣. Erant homines edentes et bibentes; et non cognoverunt donec veniret diluvium et tulit omnes. * Sicut.

383 **Sabbato**

LECTIO **Gen 9**,1-17 *Foedus Dei cum Noë et semine eius*

RESPONSORIUM **Is 54**,9-10

Sicut in diebus Noë iuravi ne inducerem aquas ultra super terram, sic iuravi ut non irascar tibi: * Et foedus pacis meae non movebitur. ℣. Montes commovebuntur et colles contremiscent; misericordia autem mea non recedet a te. * Et foedus.

[Cf. Brev. Cluniac.]

HEBDOMADA 2 PER ANNUM II

384 **Dominica**

LECTIO **Gen 11**,1-19 *Humani generis dispersio*

RESPONSORIUM **Is 66**,18; **Mc 13**,27

Ecce venio ut congregem omnes gentes et linguas: * Et venient et videbunt gloriam meam. ℣. Tunc mittam angelos meos et congregabo electos meos a quattuor ventis. * Et venient.

385 **Feria 2**

LECTIO **Gen 12**,1-8; **13**,5-17 *Vocatio et benedictio Abrahae*

RESPONSORIUM **Hebr 11**,8; **Is 51**,2

Fide Abraham obedivit in locum exire quem accepturus erat in hereditatem; * Et exiit nesciens quo iret. ℣. Attendite ad Abraham patrem vestrum, et ad Saram quae peperit vos, quia unum vocavi eum; * Et.

386 **Feria 3**

LECTIO **Gen 14**,8-24 *Pugna regum et benedictio Melchisedech*

RESPONSORIUM **Hebr 5**,5-6; **7**,20-21

Christus non semetipsum clarificavit, ut pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum: * Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech. ℣. Alii sine iureiurando sacerdotes facti sunt; Iesus autem cum iureiurando per eum qui dixit ad illum: * Tu es.

387 **Feria 4**

LECTIO **Gen 15**,1-11.17-18; **17**,9-14 *Foedus Dei cum Abraham et signum circumcisionis*

RESPONSORIUM **Iac 2**,23; **Rom 4**,18

Credidit Abraham Deo et reputatum est ei ad iustitiam; * Et ideo amicus Dei factus est. ℣. Contra spem in spem credidit ut fieret pater multarum gentium; * Et ideo.

388 **Feria 5**

LECTIO **Gen 18**,1-15; **21**,1-3 *Promissio nativitatis Isaac*

RESPONSORIUM **Rom 4**,19-21; **Lc 1**,37

In repromissione Dei non haesitavit Abraham diffidentia, * Quia non est impossibile apud Deum omne verbum. ℣. Non infirmatus est in fide nec consideravit corpus suum emortuum. * Quia.

389 **Feria 6**

LECTIO **Gen 18**,16-33; **19**,27-28 *Intercessio Abrahae pro Sodoma*

RESPONSORIUM

Recordare, Domine, testamenti tui; ut non desoletur terra; * Et non perdas omnem animam vivam. ℣. Exaudi, Domine, voces servorum tuorum et ne facias consummationem. * Et non.

[Brev. Ambros.]

390 **Sabbato**

LECTIO **Gen 22**,1-19 *Oblatio Isaac*

RESPONSORIUM **Hebr 11**,17.19; **Rom 4**,17

Fide obtulit Abraham Isaac, cum tentaretur, et unigenitum offerebat qui susceperat repromissiones, * Arbitrans quia et a mortuis suscitare potens est Deus. ℣. Credidit ei qui vocat ea quae non sunt, tamquam ea quae sunt, * Arbitrans.

[Brev. Cluniac.]

HEBDOMADA 3 PER ANNUM II

391 **Dominica**

LECTIO **Gen 27,**1-19 *Iacob ab Isaac benedicitur*

RESPONSORIUM **Rom 9,**11-12

Ut secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante, * Dictum est a Domino: Maior serviet minori. ℣. Cum enim nondum nati fuissent aut aliquid boni agissent aut mali, * Dictum est.

[Cf. Brev. Cluniac.]

392 **Feria 2**

LECTIO **Gen 27,**41-45; **28,**10-22 *Fuga et somnium Iacob*

RESPONSORIUM **Gen 28,**12.17; **Io 1,**51

Vidit Iacob scalam stantem super terram et cacumen illius tangens caelum, Angelos quoque Dei ascendentes et descendentes per eam, et dixit: * Non est hic aliud nisi domus Dei et porta caeli. ℣. Amen, amen dico vobis: Videbitis caelum apertum et Angelos Dei ascendentes et descendentes supra Filium hominis. * Non est.

[Cf. Brev. Paris.]

393 **Feria 3**

LECTIO **Gen 32,**3-12.22-31 *Certamen Iacob cum Angelo*

RESPONSORIUM **Gen 32,**30.28

Vidi Dominum facie ad faciem: * Et salva facta est anima mea. ℣. Et dixit mihi: Nequaquam vocaberis Iacob, sed Israël erit nomen tuum. * Et salva.

394 **Feria 4**

LECTIO **Gen 37,**2b-4.12-36 *Ioseph a fratribus traditur*

RESPONSORIUM **Act 7,**9-10; **Sap 10,**13

Patriarchae aemulantes Ioseph vendiderunt in Aegyptum et erat Deus cum eo * Et eripuit eum ex omnibus tribulationibus eius. ℣. Venditum iustum non dereliquit sapientia, sed a peccatoribus liberavit eum. * Et eripuit.

[Brev. Cluniac.]

395 **Feria 5**

LECTIO **Gen 41**,1-17a.25-43 *Exaltatio Ioseph in Aegypto*

RESPONSORIUM **Sap 10**,13.14

Sapientia iustum in vinculis non dereliquit, sed a peccatoribus liberavit eum, donec afferret illi sceptrum regni * Et potentiam adversus eos qui eum deprimebant. ℣. Mendaces ostendit qui maculaverunt illum et dedit illi claritatem aeternam, * Et.

[Cf. Brev. Cluniac.]

396 **Feria 6**

LECTIO **Gen 45**,1-3a.5.9-11.14-15.21.25-28; **46**,1-7 *Reconciliatio Ioseph et fratrum*

RESPONSORIUM **Mc 11**,25; **Mt 6**,14; **Lc 6**,36

Dimittite, si quid habetis adversus aliquem. * Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet et vobis Pater caelestis delicta vestra. ℣. Estote misericordes sicut et Pater vester misericors est. * Si enim.

397 **Sabbato**

LECTIO **Gen 49**,1-2.8-12.22-26.28b-33 *Benedictio filiorum Iacob*

RESPONSORIUM **Ap 5**,5; **Gen 49**,10

Ecce vicit leo de tribu Iuda, radix David, * Aperire librum et solvere septem signacula eius. ℣. Non auferetur sceptrum de Iuda, donec veniat qui mittendus est, * Aperire.

HEBDOMADA 4 PER ANNUM II

398 **Dominica**

LECTIO **1 Tim 1**,1-20 *Missio Timothei. Paulus Evangelii praedicator*

RESPONSORIUM **1 Tim 1**,14-15; **Rom 3**,23

Superabundavit gratia Domini nostri cum fide et dilectione. * Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere. ℣. Omnes enim peccaverunt et egent gloria Dei. * Christus Iesus.

399 **Feria 2**

LECTIO **1 Tim 2**,1-15 *Invitatio ad orationem*

RESPONSORIUM **1 Tim 2**,5-6; **Hebr 2**,17

Unus Deus, unus et mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus: * Qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus. ℣. Unde debuit per omnia fratribus similari, ut misericors fieret. * Qui dedit.

400 **Feria 3**

LECTIO **1 Tim 3**,1-16 *Ministri Ecclesiae*

RESPONSORIUM **Act 20**,28; **1 Cor 4**,2

Attendite universo gregi in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos * Regere Ecclesiam Dei quam Deus acquisivit sanguine Filii sui. ℣. Quaeritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur, * Regere.

401 **Feria 4**

LECTIO **1 Tim 4**,1-**5**,2 *Magistri erroris.*

RESPONSORIUM **1 Tim 4**,8.10; **2 Cor 4**,9

Pietas ad omnia utilis est, promissionem habens vitae. In hoc laboramus et maledicimur * Quia speramus in Deum vivum. ℣. Persecutionem patimur sed non derelinquimur, deicimur sed non perimus. * Quia speramus.

402 **Feria 5**

LECTIO **1 Tim 5**,3-25 *Viduae et presbyteri*

RESPONSORIUM **Iac 1**,27; **Is 1**,17

Religio munda, et immaculata apud Deum et Patrem, haec est: visitare pupillos et viduas * In tribulatione eorum. ℣. Discite benefacere: Iudicate pupillo et defendite viduam * In tribulatione eorum.

403 **Feria 6**

LECTIO **1 Tim 6**,1-10 *Falsi doctores*

RESPONSORIUM **Mt 6**,25; **1 Tim 6**,8

Ne solliciti sitis animae vestrae quid manducetis neque corpori vestro quid induamini. * Nonne anima plus est quam esca et corpus plus quam vestimentum? ℣. Habentes autem alimenta et quibus tegamini, his contenti sitis. * Nonne anima.

404 **Sabbato**

LECTIO **1 Tim 6**,11-21 *Ultima exhortatio*

RESPONSORIUM **Col 2**,4-6; **1 Tim 6**,12

Sicut accepistis Iesum Christum Dominum, in ipso ambulate, radicati et superaedificati in ipso et confirmati in fide sicut et didicistis, * Abundantes in gratiarum actione. ℣. Certate bonum certamen fidei; apprehendite vitam aeternam, * Abundantes.

HEBDOMADA 5 PER ANNUM II

405 **Dominica**

LECTIO **Prov 1**,8-15; **3**,1-18 *Adhortatio ad sapientiam eligendam*

RESPONSORIUM **Rom 12**,16; **1 Cor 3**,18-19; **1**,23-24

Nolite esse prudentes apud vosmetipsos; si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc saeculo, stultus fiat ut sit sapiens; * Sapientia enim huius saeculi stultitia est apud Deum. ℣. Nos autem praedicamus Christum crucifixum, Dei virtutem et Dei sapientiam. * Sapientia.

[Cf. Brev. Cluniac.]

406 **Feria 2**

LECTIO **Prov 8**,1-5.12-36 *Laus aeternae sapientiae*

RESPONSORIUM **Prov 8**,22; **Io 1**,1

Dominus possedit me in initio viarum suarum * Antequam quidquam faceret a principio ℣. In principio erat Verbum et Verbum erat apud Deum et Deus erat Verbum. * Antequam.

[Brev. Paris.]

407 **Feria 3**

LECTIO **Prov 9**,1-6.13-18 *Sapientia et stultitia*

RESPONSORIUM **Lc 14**,16-17; **Prov 9**,5

Homo quidam fecit cenam magnam et misit servum suum hora cenae dicere invitatis ut venirent, * Quia parata sunt omnia. ℣. Venite, comedite panem meum et bibite vinum quod miscui vobis. * Quia.

[Brev. Rom.]

408 **Feria 4**

LECTIO **Prov 10**,6-**11**,12 *Sententiae diversae*

RESPONSORIUM **Ps 36**,30-31; **111**,7

Os iusti meditabitur sapientiam et lingua eius loquetur iudicium, * Lex Dei eius in corde ipsius. ℣. In memoria aeterna erit iustus, ab auditione mala non timebit. * Lex.

409 **Feria 5**

LECTIO **Prov 15**,8-9.16-17.25-26.29.33; **16**,1-9; **17**,5 *Homo coram Domino.*

RESPONSORIUM **Dt 6**,13; **Prov 15**,33

Ne obliviscaris Domini, qui eduxit te de terra Aegypti: * Dominum Deum tuum timebis et illi soli servies. ℣. Timor Domini disciplina sapientiae et gloriam praecedit humilitas. * Dominum.

410 **Feria 6**

LECTIO **Prov 20**,6-7.9.12.21-24; **21**,2-3.27.30-31; **23**,10-12; 15-18 *Sententiae diversae*

RESPONSORIUM **1 Sam 16**,7; **Prov 21**,2

Non iuxta intuitum hominis Dominus iudicat. Homo videt ea quae parent; * Dominus intuetur cor. ℣. Omnis via viri recta sibi videtur; appendit autem corda Dominus. * Dominus.

411 **Sabbato**

LECTIO **Prov 31,10-31** *Laus mulieris fortis*

RESPONSORIUM **Prov 31,30; 1 Tim 5,10**

Fallax gratia et vana est pulchritudo: * Mulier timens Dominum ipsa laudabitur. ℣. Si filios educavit, si hospitio recepit, si omne opus bonum subsecuta est.* Mulier.

HEBDOMADA 6 PER ANNUM II

412 **Dominica**

LECTIO **Cant 1,1-7** *Ecclesia Sponsa Christi regis amorem desiderat*

RESPONSORIUM **Os 2,19-20; Ier 2,2**

Sponsabo te mihi in sempiternum; sponsabo te mihi in iustitia et iudicio et in misericordia, * Sponsabo te mihi in fide. ℣. Recordatus sum tui et caritatis desponsationis tuae, quando secuta es me in deserto, * Sponsabo.

413 **Feria 2**

LECTIO **Cant 1,8-2,7** *Dilecti et Dilectae sermocinatio, scilicet Christi et Ecclesiae*

RESPONSORIUM **Ct 2,3; Ps 15,11**

Sub umbra illius quem desideraveram sedi, * Et fructus eius dulcis gutturi meo. ℣. Adimplebit me laetitia cum vultu suo, delectationes in dextera eius usque in finem. * Et fructus.

414 **Feria 3**

LECTIO **Cant 2,8-3,5** *Vocem Sponsi audit Sponsa et eum quaerit*

RESPONSORIUM **Ct 2,10.14; Ps 44,11**

Surge, amica mea et veni: * Vox enim tua dulcis et facies tua decora. ℣. Audi, filia, et inclina aurem tuam, et concupiscet rex decorem tuum. * Vox enim.

415 **Feria 4**

LECTIO **Ct 4**,1-16 *Christus Ecclesiae Sponsae amorem desiderat*

RESPONSORIUM **Ct 4**,7-8; **Ier 31**,3

Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te: * Veni de Libano, sponsa mea, veni, coronaberis. ℣. In caritate perpetua dilexi te; ideo attraxi te miserans. * Veni.

416 **Feria 5**

LECTIO **Ct 5**,2-16 *Sponsa quaerit et laudat Sponsum*

RESPONSORIUM **Ct 5**,2; **Ap 3**,20

Vox dilecti mei pulsantis: * Aperi mihi, soror mea, amica mea. ℣. Ecce sto ad ostium et pulso: si quis aperuerit mihi ianuam, cenabo cum illo et ipse mecum. * Aperi.

417 **Feria 6**

LECTIO **Ct 6**,3-**7**,10 *Laus Sponsae*

RESPONSORIUM **Ap 12**,1; **Ct 6**,9

Signum magnum apparuit in caelo: Mulier amicta sole et luna sub pedibus eius, * Et in capite eius corona stellarum duodecim. ℣. Quae est ista quae progreditur pulchra ut luna, electa ut sol. * Et.

418 **Sabbato**

LECTIO **Ct 7**,11-**8**,7 *Ultima verba Sponsae et laus amoris*

RESPONSORIUM **Ct 8**,6-7; **Io 15**,13

Fortis est ut mors dilectio: lampades eius, lampades ignis atque flammarum; * Aquae multae non potuerunt exstinguere caritatem. ℣. Maiorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis. * Aquae.

[Cf. Brev. Paris.]

HEBDOMADA 7 PER ANNUM II

419 **Dominica**

LECTIO **Eccle 1,1-18** *Vanitas omnium rerum*

RESPONSORIUM **Eccle 1,2-3; 5,14; 1 Tim 6,7**

Vanitas vanitatum et omnia vanitas; quid habet amplius homo de universo labore suo? * Sicut egressus est homo nudus de utero matris suae, sic revertetur et nihil auferet secum. ℣. Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium quod nec auferre quid possumus. * Sicut egressus.

420 **Feria 2**

LECTIO **Eccle 2,1-15.24-26** *Vanitas voluptatum*

RESPONSORIUM **Eccle 2,26; 1 Tim 6,10**

Homini bono in conspectu suo dedit Deus sapientiam et scientiam, et laetitiam, peccatori autem dedit afflictionem et curam superfluam ut addat et congreget * Et hoc est vanitas et cassa sollicitudo mentis. ℣. Radix omnium malorum cupiditas, quam quidam appetentes inseruerunt se doloribus multis. * Et hoc est.

421 **Feria 3**

LECTIO **Eccle 3,1-22** *Temporum diversitas*

RESPONSORIUM **1 Cor 7,29.31; Eccle 3,1**

Tempus breve est. Reliquum est ut qui utuntur hoc mundo sint tamquam qui non utantur. * Praeterit enim figura huius mundi. ℣. Omnia tempus habent, et suis spatiis transeunt universa sub caelo. * Praeterit enim.

422 **Feria 4**

LECTIO **Eccle 4,1-16; 5,7-8** *Miseria hominis in societate viventis*

RESPONSORIUM **Gal 6,2; Rom 15,7**

Alter alterius onera portate * Et sic adimplebitis legem Christi. ℣. Suscipite invicem, sicut et Christus suscepit vos in honorem Dei. * Et sic adimplebitis.

423 **Feria 5**

LECTIO **Eccle 5,9-6,8** *Vanitas divitiarum*

RESPONSORIUM **Prov 30,8.7**

Verbum iniquum et dolosum longe fac a me, Domine. * Divitias et paupertatem ne dederis mihi, sed tantum victui meo tribue necessaria. ℣. Duo rogavi te, ne deneges mihi, antequam moriar. * Divitias et paupertatem.

[Brev. Rom.]

424 **Feria 6**

LECTIO **Eccle 8,9-9,10** *Consolatio sapientis*

RESPONSORIUM **1 Cor 2,9-10; Eccle 8,17**

Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus iis qui diligunt illum: * Nobis revelavit Deus per Spiritum suum, qui omnia scrutatur, etiam profunda Dei. ℣. Omnium operum Dei nullam potest homo invenire causam. * Nobis revelavit.

425 **Sabbato**

LECTIO **Eccle 11,7-12,8** *Senectus*

RESPONSORIUM **Ps 70,9.17; Ps 15,11**

Deus, docuisti me a iuventute mea; et usque nunc pronuntiabo mirabilia tua. * Ne proicias me in tempore senectutis. ℣. Adimplebis me laetitia cum vultu tuo, delectationes in dextera tua usque in finem. * Ne proicias.

HEBDOMADA 8 PER ANNUM II

426 **Dominica**

LECTIO **Bar 1,14-2,7.11-15** *Populi paenitentis deprecatio*

RESPONSORIUM **Eph 2,4-5; Bar 2,12**

Deus qui dives est in misericordia propter nimiam caritatem suam qua dilexit nos, * Et cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo. ℣. Peccavimus impie egimus contra Deum nostrum, in omnibus iustitiis suis. * Et.

427 **Feria 2**

LECTIO **Bar 3**,9-15.29-**4**,4 *Salus Israël in sapientia*

RESPONSORIUM **Rom 11**,33; **Bar 3**,32.37

O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei! * Quam incomprehensibilia sunt iudicia eius et investigabiles viae eius. ℣. Qui scit universa novit sapientiam et tradidit illam Israël dilecto suo. * Quam.

428 **Feria 3**

LECTIO **Bar 4**,30-**5**,9 *Promissio salutis Ierusalem*

RESPONSORIUM **Bar 4**,36-37; **5**,4

Vide, Ierusalem, iucunditatem a Deo tibi venientem. * Ecce veniunt filii tui, collecti ab Oriente usque ad Occidentem. ℣. Nominabitur tibi nomen tuum a Deo in sempiternum: Pax iustitiae et honor pietatis. * Ecce.

429 **Feria 4**

LECTIO **Est 1**,1-3.9-13.15-16.19; **2**,5-10.16-17 *Repudiatio Vasthi et electio Esther*

RESPONSORIUM **Ps 112**,5-8; **Lc 1**,51-52

Quis sicut Dominus Deus noster qui in altis habitat et humilia respicit in caelo et in terra? * Suscitans de terra inopem et de stercore erigens pauperem ut collocet eum cum principibus. ℣. Dispersit superbos mente cordis sui, deposuit potentes de sede et exaltavit humiles. * Suscitans.

430 **Feria 5**

LECTIO **Est 3**,1-6.8-11; **4**,1-2.4-7; **15**,2-3; **4**,9-16 *Iudaei in periculo positi*

RESPONSORIUM **Est 13**,9; **Ps 43**,26; **Est 13**,17

Domine mi, Rex omnipotens, in ditione tua cuncta sunt posita et non est qui possit resistere voluntati tuae. * Libera nos propter nomen tuum. ℣. Exaudi orationem nostram et converte luctum nostrum in gaudium. * Libera.

[Brev. Rom.]

431 **Feria 6**

LECTIO **Est 14**,1-19 *Oratio Esther*

RESPONSORIUM **Est 14**,12.13.9

Conforta me, Rex, Sanctorum principatum tenens, * Et da sermonem rectum et bene sonantem in os meum. ℣. Da nobis, Domine, locum paenitentiae et ne claudas ora canentium te, Domine. * Et da.

[Cf. Brev. Rom.]

432 **Sabbato**

LECTIO **Est 5**,1-5.9-14; **7**,1-10 *Salus Iudaeorum*

RESPONSORIUM **Est 10**,9; **Lc 1**,54

Israël clamavit ad Dominum et salvum fecit Dominus populum suum; * Liberavit eum ab omnibus malis et fecit signa magna inter gentes. ℣. Suscepit Israël puerum suum, recordatus misericordiae suae. * Liberavit.

[Cf. Brev. Paris.]

HEBDOMADA 9 PER ANNUM II

433 **Dominica**

LECTIO **Eccli 1**,1-25 *Divinae Sapientiae mysterium*

RESPONSORIUM **Eccli 1**,7.10.1

Disciplina sapientiae cui revelata est et manifestata? Altissimus effudit illam super omnem carnem * Et praebuit illam diligentibus se. ℣. Omnis sapientia a Domino Deo est, ipse creavit illam in Spiritu sancto. * Et.

[Brev. Cluniac.]

434 **Feria 2**

LECTIO **Eccli 2**,1-23 *Patientia in tentatione*

RESPONSORIUM **Eccli 2**,10.11; **Ps 33**,6

Qui timetis Dominum, diligite illum et illuminabuntur corda vestra: respicite nationes hominum et scitote: * Quia nullus speravit in Domino et confusus est. ℣. Accedite ad eum et illuminamini et facies vestrae non confundentur. * Quia.

[Brev. Cluniac.]

435 **Feria 3**

LECTIO **Eccli 3**,19-31; **10**,14-22 *Humilitas et superbia*

RESPONSORIUM **Eccli 3**,31.32

Cor sapientis intelligitur in sapientia * Et auris bona audiet cum omni concupiscentia sapientiam. ℣. Sapiens cor et intelligibile abstinebit se a peccatis et in operibus iustitiae successus habebit. * Et.

436 **Feria 4**

LECTIO **Eccli 3**,33-**4**,11; **7**,36-40 *Misericordia erga pauperes*

RESPONSORIUM **Eccli 4**,1-2; **Tob 4**,7

Eleemosynam pauperis ne defraudes et oculos tuos ne transvertas a paupere. * Animam esurientem ne despexeris. ℣. Ex substantia tua fac eleemosynam; et noli avertere faciem tuam ab ullo paupere. * Animam.

437 **Feria 5**

LECTIO **Eccli 5**,1-9; **16**,16-23 *Divina retributio*

RESPONSORIUM **Eccli 5**,7-8; **Ap 22**,12

Non tardes converti ad Dominum et ne differas de die in diem; * Misericordia enim et ira ab illo cito proximant. ℣. Ecce venio cito, dicit Dominus, et merces mea mecum est, reddere unicuique secundum opera sua. * Misericordia.

438 **Feria 6**

LECTIO **Eccli 6**,5-17; **22**,25-27 *Amicitia*

RESPONSORIUM **Io 15**,12.14; **Eccli 6**,14

Vos amici mei estis, si feceritis quae praecipio vobis: * Diligite invicem, sicut dilexi vos. ℣. Amicus fidelis, protectio fortis: qui autem invenit illum invenit thesaurum * Diligite.

439 **Sabbato**

LECTIO **Eccli 6,**18-37 *Suave iugum Sapientiae*

RESPONSORIUM **Eccli 6,**37.23

Cogitatum tuum habe in praeceptis Dei et in mandatis illius maxime assiduus esto. * Et concupiscentia sapientiae dabitur tibi. ℣. Quibus cognita est sapientia, permanet usque ad conspectum Dei. * Et.

HEBDOMADA 10 PER ANNUM II

440 **Dominica**

LECTIO **Eccli 14,**22-**15,**10 *Felicitas sapientis*

RESPONSORIUM **Eccli 15,**1.10; **1 Cor 1,**23.24

Qui timet Deum faciet bona et qui continens est iustitiae apprehendet illam, * Quoniam a Deo profecta est sapientia. ℣. Nos autem praedicamus Christum crucifixum, Dei virtutem et Dei sapientiam. * Quoniam.

441 **Feria 2**

LECTIO **Eccli 16,**24-**17,**12 *Homo totius creationis culmen*

RESPONSORIUM **1 Cor 15,**47.45; **Eccli 17,**1

Primus homo de terra, terrenus; secundus homo de caelo, caelestis; * Si portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem caelestis. ℣. Deus creavit de terra hominem et secundum imaginem suam fecit illum. * Si portavimus.

442 **Feria 3**

LECTIO **Eccli 24,**1-33.38-39 *Sapientia Dei per Legem in Israël inhabitat*

RESPONSORIUM **Io 14,**6; **Eccli 24,**14

Ego sum via, veritas et vita, * Nemo venit ad Patrem nisi per me. ℣. Ego sapientia ab initio et ante saecula creata sum et usque ad futurum saeculum non desinam. * Nemo.

443 **Feria 4**

LECTIO **Eccli 27,25-28,9** *Contra iram et vindictam*

RESPONSORIUM **Eccli 28,1-2; Mt 6,14**

Qui vindicari vult a Domino inveniet vindictam et peccata illius servans servabit. * Relinque proximo tuo nocenti te et tunc deprecanti tibi peccata solventur. ℣. Si enim dimiseris hominibus peccata eorum, dimittet et tibi Pater tuus caelestis delicta tua. * Relinque.

444 **Feria 5**

LECTIO **Eccli 35,1-21** *Sinceritas in Dei cultu erigitur*

RESPONSORIUM **Eccli 35,14.21.15; Lc 18,14**

Munera prava non suscipiet Deus, oratio autem humiliantis se nubes penetrabit * Quoniam Dominus iudex est et non est apud illum gloria personae. ℣. Descendit publicanus iustificatus in domum suam, non vero Pharisaeus, quia omnis qui se humiliat exaltabitur. * Quoniam.

445 **Feria 6**

LECTIO **Eccli 38,35-39,15** *Opus artificum et labor scribae comparantur*

RESPONSORIUM **Eccli 39,7-8; Iac 1,5**

Sapiens aperiet os suum in oratione, * Si enim Dominus magnus voluerit, Spiritu intelligentiae replebit illum. ℣. Si quis indiget sapientia, postulet a Deo qui dat omnibus affluenter. * Si enim.

[Cf. Brev. Paris.]

446 **Sabbato**

LECTIO **Eccli 42,15-26; 43,33-37** *Laus divina in creatione*

RESPONSORIUM **Eccli 43,29.30**

Glorificantes Deum multa dicemus et deficiemus in verbis. * Consummatio autem sermonum ipse est in omnibus. ℣. Gloriantes ad quid valebimus? Ipse enim omnipotens super omnia opera sua. * Consummatio.

[Brev. Cluniac.]

HEBDOMADA 11 PER ANNUM II

447 **Dominica**

LECTIO **Idt 2**,1a.4b-7.18; **3**,7; **4**,1-2.8-17 *In periculo deprecatur populus*

RESPONSORIUM **Idt 4**,1.2.3.8; **7**,19

Tribulationes civitatum audivimus quas passae sunt et defecimus: timor et hebetudo mentis cecidit super nos et super liberos nostros: * Ipsi montes nolunt recipere fugam nostram: Domine miserere. ℣. Peccavimus cum patribus nostris, iniuste egimus, iniquitatem fecimus. * Ipsi.

[Brev. Rom.]

448 **Feria 2**

LECTIO **5**,1-9a.17-19.24-25; **6**,1-3.7.10.14 *Achior Ammonita*

RESPONSORIUM **Idt 16**,16; **Eccli 36**,18; **Idt 6**,15

Adonai, Domine, Deus magne et mirabilis, qui dedisti salutem in manu feminae, * Exaudi preces servorum tuorum. ℣. Benedictus es, Domine, qui non derelinquis praesumentes de te et de sua virtute gloriantes humilias. * Exaudi.

[Brev. Rom.]

449 **Feria 3**

LECTIO **Idt 7**,1.4-7.12-25 (LXX: 1.4-5.19-32a) *Deprecatio populi*

RESPONSORIUM **Idt 7**,23.24; **Phil 4**,6

Aequo animo estote, fratres, exspectemus a Domino misericordiam; * Dabit enim Deus gloriam nomini suo. ℣. Nihil solliciti sitis, sed in omni oratione et obsecratione petitiones vestrae innotescant apud Deum; * Dabit.

[Cf. Brev. Paris.]

450 **Feria 4**

LECTIO **Idt 8**,1a.9b-14.20.28-29.34b; **9**,1-2a.3b-6.11.14-19 (LXX: **8**,1a.9-12.25-27.36; **9**,5-14) *Iudith de salute populi sui sollicita*

RESPONSORIUM **Idt 8**,19-20.14.16

Nos alium Deum nescimus praeter Dominum, in quo speramus: * Qui non despicit nos nec amovet salutem suam a genere nostro. ℣. Indulgentiam ipsius fusis lacrimis postulemus et humiliemus illi animas nostras. * Qui non.

[Brev. Rom.]

451 **Feria 5**

LECTIO **Idt 10**,1-5.11-16; **11**,1.4-6.18-21 (LXX: **10**,1-6a.11-17; **11**,1.5-7.20-23) *Iudith apud Holofernem*

RESPONSORIUM **Idt 9**,10-11

Domine Deus, qui conteris bella ab initio, eleva brachium tuum super gentes quae cogitant servis tuis mala: * Et dextera tua glorificetur in nobis. ℣. Allide virtutem eorum in virtute tua, cadat robur eorum in iracundia tua. * Et.

[Brev. Rom.]

452 **Feria 6**

LECTIO **Idt 12**,10-20; **13**,2-12 (LXX: **12**,10-20; **13**,4-10) *Mors Holofernis*

RESPONSORIUM **1 Cor 1**,27.29; **2 Cor 12**,9; **1 Cor 1**,28

Infirma mundi elegit Deus ut confundat fortia, ut non glorietur omnis caro in conspectu eius, * Nam virtus in infirmitate perficitur. ℣. Ignobilia mundi elegit Deus ut ea quae sunt destrueret. * Nam.

453 **Sabbato**

LECTIO **Idt 13**,13-19a.20.22-26; **14**,7; **15**,1-2.9-11 (LXX: **13**,11-20; **14**,11a; **15**,1-2.8-10) *Gratiarum actio pro salute populi*

RESPONSORIUM **Idt 13**,22.25.24.25

Benedicat te Dominus in virtute sua qui per te ad nihilum redegit inimicos nostros: * Ut non deficiat laus tua de ore hominum. ℣. Benedictus Dominus qui creavit caelum et terram, quia hodie nomen tuum ita magnificavit. * Ut.

[Brev. Rom.]

HEBDOMADA 12 PER ANNUM II

454 **Dominica**

LECTIO **Iob 1**,1-22 *Iob bonis suis privatur*

RESPONSORIUM **Iob 2**,10; **1**,21

Si bona suscepimus de manu Dei, mala autem, quare non sustineamus? * Dominus dedit, Dominus abstulit. Sicut Domino placuit, ita factum est. Sit nomen Domini benedictum. ℣. Nudus egressus sum de utero matris meae et nudus revertar illuc. * Dominus.

[Brev. Rom.]

455 **Feria 2**

LECTIO **Iob 2**,1-13 *Iob ulcere afflictus ab amicis visitatur*

RESPONSORIUM **Ps 37**,2.4.12

Domine, ne in furore tuo arguas me, quoniam sagittae tuae infixae sunt mihi. * Non est sanitas in carne mea a facie irae tuae. ℣. Amici mei et proximi mei adversum me appropinquaverunt et steterunt. * Non.

456 **Feria 3**

LECTIO **Iob 3**,1-7.10-13.16-21.25 *Planctus Iob*

RESPONSORIUM **Iob 3**,24-26; **6**,13

Antequam comedam suspiro et tamquam inundantes aquae, sic rugitus meus; quia timor quem timebam evenit mihi et quod verebar accidit. * Et venit super me indignatio. ℣. Ecce non est auxilium mihi in me, et necessarii quoque mei recesserunt a me. * Et.

[Brev. Rom.]

457 **Feria 4**

LECTIO **Iob 7**,1-21 *Iob propter taedium vitae ad Deum protestatur*

RESPONSORIUM **Iob 7**,5.6.7

Induta est caro mea putredine et sordibus pulveris cutis mea aruit et contracta est. * Memento mei, Domine, quoniam ventus est vita mea. ℣. Dies mei velocius transierunt quam a texente tela succiditur et consumpti sunt absque ulla spe. * Memento.

[Brev. Rom.]

458 **Feria 5**

LECTIO **Iob 11**,1-20 *Opinio communis exponitur*

RESPONSORIUM **2 Cor 4**,8-10

In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur; aporiamur, sed non destituimur; * Persecutionem patimur sed non derelinquimur. ℣. Semper mortificationem Iesu in corpore nostro circumferentes, ut et vita Iesu manifestetur in corporibus nostris. * Persecutionem.

459 **Feria 6**

LECTIO **Iob 13,**17-**14,**6 *Iob ad Dei iudicium appellat*

RESPONSORIUM **Iob 13,**20.21; **Ier 10,**24

Ne abscondas me, Domine, a facie tua. Manum tuam longe fac a me; * Et formido tua non me terreat. ℣. Corripe me, Domine, in misericordia, non in furore tuo, ne forte ad nihilum redigas me. * Et.

[Brev. Rom.]

460 **Sabbato**

LECTIO **Iob 19,**6-27 *Iob desperatus ad spem erigitur*

RESPONSORIUM **Iob 19,**25-27

Credo quod Redemptor meus vivit et in novissimo die de terra surrecturus sum, * Et in carne mea videbo Deum Salvatorem meum. ℣. Quem visurus sum ego ipse et non alius, et oculi mei conspecturi sunt. * Et.

[Brev. Rom.]

HEBDOMADA 13 PER ANNUM II

461 **Dominica**

LECTIO **Iob 23,**1-9; **24,**1-12 *Scandalum de impunitate iniquorum*

RESPONSORIUM **Ps 72,**2-3.16-17

Mei pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei, * Quia zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns. ℣. Labor est ante me, donec intrem in sanctuarium Dei et intelligam in novissimis eorum. * Quia.

462 **Feria 2**

LECTIO **Iob 30,**1.9-23 *Praesens afflictio Iob*

RESPONSORIUM **Iob 30,**17-19; **7,**20.16

Nocte os meum perforatur doloribus et qui me comedunt non dormiunt. * Comparatus sum luto et assimilatus sum favillae et cineri. ℣. O custos hominum, quare posuisti me contrarium tibi? Parce mihi, Domine, nihil enim sunt dies mei. * Comparatus sum.

[Off. rom. ant.]

463 **Feria 3**

LECTIO **Iob 31,**1-23.35-37 *Iustitia Iob pristina*

RESPONSORIUM **Iob 31,**5.6.35

Si ambulavi in vanitate, si declinavit gressus meus de via, si festinavit in dolo pes meus, * Appendat me in statera iusta et sciat Deus simplicitatem meam. ℣. Quis mihi tribuat auditorem ut desiderium meum audiat Omnipotens. * Appendat.

[Cf. Brev. Cluniac.]

464 **Feria 4**

LECTIO **Iob 32,**2.3.6; **33,**1.8-19.22 *Allocutio Elihu de mysterio Dei*

RESPONSORIUM **Rom 11,**33-34

O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei! * Quam incomprehensibilia sunt iudicia eius et investigabiles viae eius! ℣. Quis enim cognovit sensum Domini? Aut quis consiliarius eius fuit? * Quam.

465 **Feria 5**

LECTIO **Iob 38,**1-21; **39,**31-35 *Deus confundit Iob*

RESPONSORIUM **Rom 9,**20; **Iob 39,**32

Homo, tu quis es qui respondeas Deo? * Numquid dicit figmentum ei qui se fecit: Quid me sic fecisti? ℣. Numquid qui contendit cum Deo tam facile conquiescit? * Numquid.

466 **Feria 6**

LECTIO **Iob 40,**1-19; **42,**1-6 *Maiestati divinae Iob se subicit*

RESPONSORIUM **Iob 42,**5-6; **39,**35

Auditu auris audivi te, Domine. Nunc autem oculus meus videt te, idcirco ipse me reprehendo. * Et ago paenitentiam in favilla et cinere. ℣. Unum locutus sum quod utinam non dixissem, et alterum quibus ultra unum non addam, sed ponam digitum ori meo. * Et ago.

[Off. rom. ant.]

467 **Sabbato**

Lectio **Iob 42**,7-16 *Iob in pristinam prosperitatem restituitur*

Responsorium **Iob 42**,7.8

Dixit Dominus ad Eliphaz: Tu et amici tui non estis locuti coram me rectum sicut servus meus Iob; * Ipse orabit pro vobis. ℣. Faciem eius suscipiam, ut non vobis imputetur stultitia vestra. * Ipse.

HEBDOMADA 14 PER ANNUM II

468 **Dominica**

Lectio **Gal 1**,1-14 *Evangelium Pauli*

Responsorium **Gal 1**,11-12; **2 Cor 11**,10.7

Evangelium quod evangelizatum est a me non est secundum hominem. * Neque enim ego ab homine accepi illud, sed per revelationem Iesu Christi. ℣ Est veritas Christi in me, quoniam Evangelium Dei evangelizavi vobis. * Neque.

469 **Feria 2**

Lectio **Gal 1**,15-**2**,10 *Vocatio et apostolatus Pauli*

Responsorium **1 Cor 15**,10; **Gal 2**,8

Gratia Dei sum id quod sum, * Et gratia eius in me vacua non fuit, sed semper in me manet. ℣. Qui operatus est Petro in apostolatum, operatus est et mihi inter gentes. * Et gratia.

[Brev. Rom.]

470 **Feria 3**

Lectio **Gal 2**,11-**3**,14 *Iustificatio per fidem*

Responsorium **Gal 2**,16.21

Non iustificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi. * Nos in Christo Iesu credimus ut iustificemur ex fide Christi et non ex operibus legis. ℣. Si enim per legem iustitia, ergo gratis Christus mortuus est. * Nos in Christo.

471 **Feria 4**

LECTIO **Gal 3**,15-28 *Munus Legis*

RESPONSORIUM **Gal 3**,27-28; **Eph 4**,24

Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis. Non est Iudaeus neque Graecus. * Omnes enim vos unum estis in Christo Iesu. ℣. Induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate veritatis. * Omnes.

472 **Feria 5**

LECTIO **Gal 3**,29-**5**,1 *Hereditas divina et libertas novi foederis*

RESPONSORIUM **Gal 4**,28.31; **2 Cor 3**,17

Nos secundum Isaac promissionis filii sumus. Itaque, non sumus ancillae filii, sed liberae, * Qua libertate Christus nos liberavit. ℣. Dominus Spiritus est, ubi autem Spiritus Domini, ibi libertas. * Qua libertate.

473 **Feria 6**

LECTIO **Gal 5**,2-25 *Libertas in vita fidelium*

RESPONSORIUM **Gal 5**,18.22.23.25

Si Spiritu ducimini, non estis sub lege. * Fructus autem Spiritus est caritas, gaudium, pax. ℣. Si Spiritu vivimus, Spiritu et ambulemus. * Fructus autem.

[Cf. Brev. Cluniac.]

474 **Sabbato**

LECTIO **Gal 5**,26-**6**,18 *Monita de caritate et zelo. Epilogus*

RESPONSORIUM **Gal 6**,8; **Io. 6**,64

Quae seminaverit homo, haec metet. Quoniam qui seminat in carne sua, de carne et metet corruptionem. * Qui seminat in spiritu, de spiritu metet vitam aeternam. ℣. Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam. * Qui.

HEBDOMADA 15 PER ANNUM II

475 **Dominica**

LECTIO **Hebr 1,1-2,4** *Filius heres universorum et super angelos exaltatus*

RESPONSORIUM **Hebr 1,3; 12,2**

Christus Iesus splendor gloriae Patris et figura substantiae eius, portansque omnia verbo virtutis suae purgationem peccatorum faciens, * Nunc sedet ad dexteram maiestatis in excelsis. ℣. Auctor fidei nostrae proposito sibi gaudio sustinuit crucem. * Nunc sedet.

[Cf. Brev. Cluniac.]

476 **Feria 2**

LECTIO **Hebr 2,5-18** *Iesus, etsi angelis minor factus, omnium unicus redemptor*

RESPONSORIUM **Hebr 2,11.17; Bar 3,38**

Qui sanctificat et qui sanctificantur ex uno omnes. * Unde debuit per omnia fratribus similari, ut misericors fieret et fidelis pontifex. ℣. Deus in terris visus est et cum hominibus conversatus est. * Unde.

[Cf. Brev. Paris.]

477 **Feria 3**

LECTIO **Hebr 3,1-19** *Iesus confessionis nostrae apostolus et pontifex*

RESPONSORIUM **Hebr 3,6; Eph 2,21**

Christus tanquam filius in domo sua. * Quae domus sumus nos. ℣. In Christo omnis aedificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino. * Quae.

478 **Feria 4**

LECTIO **Hebr 4,1-13** *Credentibus promittitur ingressus in requiem Dei*

RESPONSORIUM **Gen 2,3.2; Hebr 4,10**

Benedixit Deus diei septimo et santificavit illum. * Requievit enim Dominus die septimo ab universo opere quod patrarat. ℣. Qui ingressus est in requiem eius etiam ipse requievit ab operibus suis sicut Deus. * Requievit.

[Cf. Brev. Cluniac.]

479 **Feria 5**

LECTIO **Hebr 4,14-5,10** *Iesus Christus, Pontifex magnus*

RESPONSORIUM **Hebr 5,8-9.7**

Christus, cum esset Filius Dei, didicit ex iis quae passus est obedientiam. * Et factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis aeternae. ℣. In diebus carnis suae preces cum clamore valido offerens, exauditus est pro sua reverentia. * Et.

480 **Feria 6**

LECTIO **Hebr 5,11-6,8** *Fidelium stultitia reprehenditur*

RESPONSORIUM **Hebr 5,12.14; 1 Cor 3,2**

Cum deberetis magistri esse, facti estis quibus lacte opus sit, non solido cibo. * Perfectorum autem est solidus cibus. ℣. Lac vobis potum dedi, non escam: nondum enim poteratis. * Perfectorum.

481 **Sabbato**

LECTIO **Hebr 6,9-20** *Fidelitas Dei fundamentum spei et confidentiae nostrae*

RESPONSORIUM **Hebr 6,20; 7,24-25**

Ad interiora velaminis praecursor pro nobis intravit Iesus, secundum ordinem Melchisedech pontifex factus in aeternum, * Semper vivens ad interpellandum pro nobis. ℣. Habet sempiternum sacerdotium, unde et salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum. * Semper.

[Brev. Cluniac.]

HEBDOMADA 16 PER ANNUM II

482 **Dominica**

LECTIO **Hebr 7,1-10** *Excellentia Melchisedech, sacerdotis Dei summi*

RESPONSORIUM **Hebr 7,2-3; Gen 14,18-19**

Melchisedech qui interpretatur Rex iustitiae et Rex pacis, * Assimilatus Filio Dei, manet sacerdos in perpetuum. ℣. Proferens panem et vinum benedixit Abram. * Assimilatus.

[Cf. Brev. Cluniac.]

483 **Feria 2**

LECTIO **Hebr 7**,11-28 *Christi sacerdotium sempiternum secundum ordinem Melchisedech*

RESPONSORIUM **Hebr 5**,5-6; **7**,20-21

Christus non semetipsum clarificavit, ut pontifex fieret; sed qui locutus est ad eum: * Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech. ℣. Alii sine iureiurando sacerdotes facti sunt; Iesus autem cum iureiurando per eum qui dixit ad illum: * Tu es.

484 **Feria 3**

LECTIO **Hebr 8**,1-13 *Sacerdotium Christi, novi et melioris testamenti sacerdotium*

RESPONSORIUM **Hebr 8**,1-2; **9**,24

Habemus Pontificem qui sanctorum minister et tabernaculi veri consedit in dextera sedis magnitudinis in caelis, * Ut appareat nunc vultui Dei pro nobis. ℣. Non enim in manufacta sancta Iesus introivit, exemplaria verorum, sed in ipsum caelum. * Ut.

[Cf. Brev. Cluniac.]

485 **Feria 4**

LECTIO **Hebr 9**,1-14 *Ritus expiationis Veteris et Novi Testamenti comparantur*

RESPONSORIUM **Hebr 9**,14; **Is 59**,19-20

Sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, * Emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi. ℣. Cum venerit quasi fluvius violentus quem Spiritus Domini cogit, et venerit Sion Redemptor, * Emundabit.

[Brev. Paris.]

486 **Feria 5**

LECTIO **Hebr 9**,15-28 *Novum Testamentum in sanguine Christi*

RESPONSORIUM **Hebr 9**,28; **Is 53**,11

Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata, * Secundo sine peccato apparebit exspectantibus se in salutem. ℣. Iustificabit ipse servus meus multos et iniquitates eorum ipse portabit. * Secundo.

[Brev. Cluniac.]

487 **Feria 6**

LECTIO **Hebr 10,**1-10 *Per Christum seipsum offerentem sanctificamur.*

RESPONSORIUM **Ps 39,**7-8; **Hebr 10,**4-5

Sacrificium et oblationem noluisti, aures autem perfecisti mihi: * Holocaustum et pro peccato non postulasti, tunc dixi: Ecce venio. ℣. Impossibile est sanguine taurorum et hircorum auferri peccata; ideo Christus ingrediens mundum dixit: * Holocaustum.

[Brev. Paris. et Cluniac.]

488 **Sabbato**

LECTIO **Hebr 10,**11-25 *Fiducia et perseverantia fidelium in perfecto Christi sacrificio fundata*

RESPONSORIUM **Hebr 10,**19-20; **Mich 2,**13

Christus Novi Testamenti mediator * Initiavit nobis viam novam per carnem suam in introitum sanctorum. ℣. Ascendit pandens iter ante eos, et Dominus in capite eorum. * Initiavit.

[Brev. Paris.]

HEBDOMADA 17 PER ANNUM II

489 **Dominica**

LECTIO **Hebr 10,**26-39 *Iudicii exspectatio*

RESPONSORIUM **Hebr 10,**35-36; **Lc 21,**19

Nolite amittere confidentiam vestram; patientia enim vobis necessaria est, * Ut voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem. ℣. In patientia vestra possidebitis animas vestras. * Ut.

490 **Feria 2**

LECTIO **Hebr 11,**1-19 *Testimonium fidei sanctorum*

RESPONSORIUM **Hebr 11,**17.19; **Rom 4,**17

Fide obtulit Abraham Isaac cum tentaretur et unigenitum offerebat qui susceperat repromissiones, * Arbitrans quia et a mortuis suscitare potens est Deus. ℣. Credidit ei qui vocat ea quae non sunt tamquam ea quae sunt. * Arbitrans.

[Brev. Cluniac.]

491 **Feria 3**

LECTIO **Hebr 11**,20-31 *Testimonium fidei sanctorum* (*continuatio*)

RESPONSORIUM **Hebr 11**,24.25.26

Fide Moyses grandis factus negavit se esse filium filiae Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere iucunditatem; * Aspiciebat enim in remunerationem. ℣. Maiores divitias aestimans thesauro Aegyptiorum improperium Christi, fide reliquit Aegyptum. * Aspiciebat.

[Brev. Maur.]

492 **Feria 4**

LECTIO **Hebr 12**,32-40 *Testimonium fidei sanctorum* (*continuatio*)

RESPONSORIUM **Hebr 11**,39; **12**,1; **Eccli 44**,7.10

Hi omnes testimonio fidei probati sunt; ideoque et nos tantam habentes impositam nubem testium * Per patientiam curramus ad propositum nobis certamen. ℣. Omnes isti in generationibus gentis suae gloriam adepti sunt, quorum pietates non defuerunt. * Per.

[Cf. Brev. Paris.]

493 **Feria 5**

LECTIO **Hebr 12**,1-13 *Christo duce ad certamen curramus*

RESPONSORIUM **Hebr 12**,2; **Phil 2**,8

Auctor fidei et consummator Iesus proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta, * Atque in dextera sedis Dei sedet. ℣. Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem. * Atque.

[Brev. Cluniac.]

494 **Feria 6**

LECTIO **Hebr 12**,14-29 *Accessus ad montem Dei viventis*

RESPONSORIUM **Dt 5**,23-24; **Hebr 12**,22

Vos postquam audistis vocem de medio tenebrarum et montem Sinai ardere vidistis, accessistis ad Moysen et dixistis: * Ecce ostendit nobis Dominus Deus noster maiestatem et magnitudinem suam. ℣. Nunc accessistis ad Sion montem et civitatem Dei viventis, Ierusalem caelestem. * Ecce.

495 **Sabbato**

LECTIO **Hebr 13,**1-25 *Vita quotidiana secundum Christum agenda*

RESPONSORIUM **Hebr 13,**13-14; **1 Chron 29,**15

Exeamus ad Iesum extra castra improperium eius portantes; * Non enim habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus. ℣. Peregrini sumus coram te, Deus: dies nostri quasi umbra super terram. * Non.

[Brev. Paris.]

HEBDOMADA 18 PER ANNUM II

496 **Dominica**

LECTIO **2 Io**

RESPONSORIUM **2 Io** 3-5; **Dt 5,**30

Hoc est mandatum quod accepimus a Patre, non tanquam novum, sed quod habuimus ab initio: * Ambulate in veritate et caritate. ℣. Per viam quam praecepit Dominus Deus vester ambulabitis, ut vivatis. * Ambulate in veritate.

497 **Feria 2**

LECTIO **Tit 1,**1-16 *Missio Titi*

RESPONSORIUM **Eph 3,**8.12; **Rom 1,**5

Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia haec, in gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi, * In quo habemus fiduciam et accessum in confidentia per fidem eius. ℣. Accepimus gratiam et apostolatum ad obediendum fidei in gentibus pro nomine eius. * In quo.

498 **Feria 3**

LECTIO **Tit 2,**1-10 *Hortationes ad fideles*

RESPONSORIUM **Eph 5,**8-9; **Mt 5,**14.16

Nunc estis lux in Domino: ut filii lucis ambulate. * Fructus lucis est in omni bonitate et iustitia et veritate. ℣. Vos estis lux mundi. Luceat lux vestra coram hominibus. * Fructus.

499 **Feria 4**

LECTIO **Tit 2,**11-**3,**3 *Laus divinae gratiae*

RESPONSORIUM **Tit 2,**12-13; **Eph 5,**15-16

Abnegantes impietatem et saecularia desideria, sobrie et iuste et pie vivamus in hoc saeculo, * Exspectantes adventum gloriae magni Dei et Salvatoris nostri Iesu Christi. ℣. Caute ambulemus: non quasi insipientes, sed ut sapientes, redimentes tempus. * Exspectantes adventum.

500 **Feria 5**

LECTIO **Tit 3,**4-15 *Lavacrum regenerationis*

RESPONSORIUM **Ps 102,**13-14; **Tit 3,**5

Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se; * Quoniam ipse cognovit figmentum nostrum. ℣. Non ex operibus iustitiae quae fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit. * Quoniam ipse cognovit.

[Brev. Paris.]

501 **Feria 6**

LECTIO **Iudae** 1-16 *Denuntiatio impiorum*

RESPONSORIUM **Zach 14,**5-9

Ecce Dominus veniet, et omnes sancti eius cum eo, et erit in die illa lux magna: et exibunt de Ierusalem sicut aqua munda: et regnabit Dominus in aeternum, * Super omnes gentes. ℣. Ecce Dominus cum virtute veniet; et regnum in manu eius et potestas et imperium. * Super.

[Cf. Brev. Rom.]

502 **Sabbato**

LECTIO **Iudae** 17-25 *Exhortatio ad fideles*

RESPONSORIUM **Phil 3,**20-21; **Tit 2,**12-13

Salvatorem exspectamus Dominum Iesum Christum. * Qui reformabit corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suae. ℣. Sobrie et iuste et pie vivamus in hoc saeculo, exspectantes beatam spem et adventum gloriae magni Dei. * Qui reformabit.

[Brev. Rom.]

HEBDOMADA 19 PER ANNUM II

503 **Dominica**

LECTIO **3 Io**

RESPONSORIUM **3 Io** 11; **1 Petr 2**,19

Noli imitare malum, sed quod bonum est. * Qui benefacit ex Deo est. ℣. Haec est gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias. * Qui benefacit.

504 **Feria 2**

LECTIO **2 Petr 1**,1-11 *Hortatio de via salutis*

RESPONSORIUM **2 Petr 1**,3-4; **Gal 3**,27

Vocavit vos Dominus propria gloria et virtute, maxima et pretiosa vobis promissa donavit, * Ut efficiamini divinae consortes naturae. ℣. Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis. * Ut.

505 **Feria 3**

LECTIO **2 Petr 1**,12-19 *Testimonium apostolorum et prophetarum*

RESPONSORIUM **Io 1**,14; **2 Petr 1**,16.18

Verbum caro factum est et habitavit in nobis; * Vidimus gloriam eius, gloriam quasi Unigeniti a Patre. ℣. Speculatores facti sumus illius magnitudinis, cum essemus cum ipso in monte sancto, * Vidimus.

[Brev. Cluniac.]

506 **Feria 4**

LECTIO **2 Petr 1**,20-**2**,10a *Iudicium Dei testimonio Scripturae inculcatum*

RESPONSORIUM **2 Petr 1**,21; **2 Tim 3**,16

Non voluntate humana allata est aliquando prophetia: * Nam Spiritu Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines. ℣. Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum. * Nam.

507 **Feria 5**

LECTIO **2 Petr 2**,10b-22 *Denuntiatio peccatorum*

RESPONSORIUM **Phil 4**,8-9; **1 Cor 16**,13

Quaecumque sunt vera, quaecumque pudica, quaecumque sancta haec cogitate: * Haec agite et Deus pacis erit vobiscum; ℣. Vigilate, state in fide, viriliter agite et confortamini. * Haec.

508 **Feria 6**

LECTIO **2 Petr 3**,1-10 *Deus promissionibus suis fidelis est*

RESPONSORIUM **Mt 24**,43-44; **2 Petr 3**,10

Si sciret paterfamilias qua hora fur venturus esset, vigilaret utique et non sineret perfodi domum suam: * Ideo et vos estote parati. ℣. Adveniet dies Domini ut fur, in quo caeli magno impetu transient. * Ideo.

509 **Sabbato**

LECTIO **2 Petr 3**,11-18 *Hortatio de exspectatione adventus Domini*

RESPONSORIUM **Is 65**,17.18; **Ap 21**,5

Ecce ego creo caelos novos et terram novam; gaudebitis in sempiternum in his quae ego creo: * Ecce nova facio omnia. ℣. Ego creo Ierusalem exsultationem et populum eius gaudium. * Ecce.

HEBDOMADA 20 PER ANNUM II

510 **Dominica**

LECTIO **Dt 4**,1-2.6b-9.23-40 *Oratio ad populum*

RESPONSORIUM **Dt 27**,3; **Ex 23**,22

Audi, Israël, praecepta Domini et ea in corde tuo quasi in libro scribe: * Et dabo tibi terram fluentem lac et mel. ℣. Observa igitur, audi vocem meam: et inimicus ero inimicis tuis. * Et.

[Brev. Rom.]

511 **Feria 2**

LECTIO **Dt 6**,4-25 *Lex dilectionis*

RESPONSORIUM **Dt 6**,4; **7**,9; **6**,5

Audi, Israël, et observa ut facias quae praecepit tibi Dominus; * Et scies quia ipse est Deus fortis et fidelis, custodiens pactum et misericordiam diligentibus se. ℣. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et ex tota anima tua et ex tota fortitudine tua. * Et scies.

[Cf. Brev. Cluniac.]

512 **Feria 3**

LECTIO **Dt 7**,6-14; **8**,2-18 *Israël, populus electus*

RESPONSORIUM **1 Io 4**,10.16; **Is 63**,8-9

Deus ipse prior dilexit nos et misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris: * Et nos cognovimus et credidimus caritati quam habet Deus in nobis. ℣. Dominus factus est nobis Salvator; in dilectione sua ipse redemit nos: * Et nos.

[Cf. Brev. Paris.]

513 **Feria 4**

LECTIO **Dt 9**,1-14.25-29; **10**,10-11 *Supplicatio Moysis pro peccato*

RESPONSORIUM **Ex 32**,11.13.14

Precatus est Moyses in conspectu Domini Dei sui et dixit: Quare, Domine, irasceris in populo tuo? Parce irae animae tuae; memento Abraham, Isaac et Iacob quibus iurasti dare terram fluentem lac et mel, * Et placatus factus est Dominus de malignitate quam dixit facere populo suo. ℣. Dixit Dominus ad Moysen: Invenisti gratiam in conspectu meo et scio te prae omnibus. * Et placatus.

[Cf. Antiph. Rom.]

514 **Feria 5**

LECTIO **Dt 10**,12-**11**,12.19-21.26-28 *Circumcisio cordis*

RESPONSORIUM **1 Cor 7**,19; **Phil 3**,3; **Gal 6**,15

Circumcisio nihil est et praeputium nihil est, sed observatio mandatorum Dei: * Nos sumus circumcisio qui spiritu servimus Deo et gloriamur in Christo Iesu. ℣. In Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet neque praeputium sed nova creatura: * Nos sumus.

[Brev. Cluniac.]

515 **Feria 6**

LECTIO **Dt 12**,1-14.18-19 *Lex unici templi*

RESPONSORIUM **2 Reg 21**,7-8; **2 Cor 6**,16

In templo hoc ponam nomen meum in sempiternum et ultra non faciam commoveri pedem Israël, * Si tamen custodierint omnia opera quae praecepi eis. ℣. Vos estis templum Dei vivi, sicut dixit Deus: Quoniam inhabitabo in illis et inambulabo inter eos. * Si tamen.

[Brev. Paris.]

516 **Sabbato**

LECTIO **Dt 15**,1-18 *Remissio debitorum*

RESPONSORIUM **Lc 6**,35-38

Diligite inimicos vestros: benefacite et mutuum date, nihil inde sperantes: * Estote misericordes sicut et Pater vester misericors est. ℣. Dimittite et dimittemini; date et dabitur vobis. * Estote.

HEBDOMADA 21 PER ANNUM II

517 **Dominica**

LECTIO **Dt 16**,18-20; **17**,14-20; **18**,1-2; **19**,15-20 *Iudices, principes, sacerdotes*

RESPONSORIUM **Ps 15**,8.9.5

A dextris est mihi Dominus, ne commovear: * Propter hoc dilatatum est cor meum et exsultavit lingua mea. ℣. Dominus pars hereditatis meae et calicis mei. * Propter.

[Brev. Rom.]

518 **Feria 2**

LECTIO **Dt 13**,1-5; **18**,9-22 *Veri et falsi prophetae*

RESPONSORIUM **Dt 18**,18; **Lc 20**,13; **Io 6**,14

Prophetam suscitabo eis et ponam verba mea in ore eius; * Loquetur ad eos omnia quae praecepero illi. ℣. Mittam Filium meum dilectum. Hic est vere propheta qui venturus est in mundum. * Loquetur.

[Brev. Maur.]

519 **Feria 3**

LECTIO **Dt 22**,1-4.6-8; **23**,15-16.19-20.24-25; **24**,10-16.19-22 *Praecepta erga proximum*

RESPONSORIUM **Mc 12**,32-33; **Eccli 35**,4-5

In veritate dixisti, magister, quia unus est Deus et ut diligatur ex toto corde: * Et diligere proximum tamquam seipsum maius est omnibus holocautomatibus et sacrificiis. ℣. Qui facit misericordiam, offert sacrificium: beneplacitum est Domino recedere ab iniustitia. * Et diligere.

[Brev. Paris.]

520 **Feria 4**

LECTIO **Dt 26**,1-19 *Professio fidei antiqua*

RESPONSORIUM **1 Petr 2**,9-10; **Dt 7**,6.8

Vos estis populus acquisitionis, qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei: * Qui non consecuti misericordiam, nunc autem misericordiam consecuti. ℣. Dominus elegit vos quia dilexit vos et redemit de domo servitutis: * Qui.

[Brev. Paris.]

521 **Feria 5**

LECTIO **Dt 29**,1-27 *Foedus non custodientibus maledicta incumbunt*

RESPONSORIUM **Gal 3**,13-14; **Dt 8**,14

Christus factus est pro nobis maledictum ut in gentibus benedictio Abrahae fieret, * Ut pollicitationem Spiritus accipiamus per fidem. ℣. Eduxit nos Deus de terra Aegypti et de domo servitutis liberavit nos. * Ut.

522 **Feria 6**

LECTIO **Dt 30**,1-20 *Populus reductus de captivitate*

RESPONSORIUM **Ier 29**,13-14; **Mt 7**,7

Quaeretis me et invenietis, cum quaesieritis me in toto corde vestro: * Et inveniar a vobis, ait Dominus; et reducam captivitatem vestram. ℣. Quaerite et invenietis; pulsate et aperietur vobis. * Et inveniar.

523 **Sabbato**

LECTIO **Dt 31**,1-8.14-23 *Ultima verba Moysis*

RESPONSORIUM **Dt 31**,23; **Prov 3**,25-26

Confortare et esto robustus; quia Dominus Deus tuus, * Ipse est ductor tuus, ipse erit tecum, noli timere. ℣. Ne paveas irruentes tibi potentias impiorum; Dominus enim erit in latere tuo et custodiet pedem tuum ne capiaris; * Ipse.

[Cf. Brev. Cluniac.]

HEBDOMADA 22 PER ANNUM II

524 **Dominica**

LECTIO **Eccli 46**,1-10 *Laus Iosue*

RESPONSORIUM **Eccli 46**,6.4.5

Invocavit Altissimum potentem in oppugnando inimicos undique, * Et audivit illum magnus et sanctus Deus in saxis grandinis virtutis valde fortis. ℣. Quis ante illum sic restitit? An non in iracundia eius impeditus est sol? * Et.

[Cf. Brev. Maur.]

525 **Feria 2**

LECTIO **Ios 1**,1-18 *Iosue a Deo vocatus populum ad unitatem hortatur*

RESPONSORIUM **Ios 1**,5.6.7.9

Sicut fui cum Moyse, ita ero tecum, dicit Dominus: * Confortare et esto robustus: introduces populum meum ad terram lacte et melle manantem. ℣. Noli timere, quoniam tecum sum: ad quaecumque perrexeris, non dimittam te, neque derelinquam. * Confortare.

[Brev. Rom.]

526 **Feria 3**

LECTIO **Ios 3**,7-17; **4**,14-19; **5**,10-12 *Populus transit per Iordanem et celebrat Pascha*

RESPONSORIUM **Ios 4**,22-25; **Ps 113**,5

Transivit Israël per Iordanem, siccante Deo aquas eius, sicut fecerat prius in Mari Rubro * Ut discant omnes terrarum populi fortissimam Domini manum. ℣. Quid est tibi mare quod fugisti, et tu, Iordanis, quia conversus es retrorsum? * Ut.

[Brev. Cluniac.]

527 **Feria 4**

LECTIO **Ios 5,**13-**6,**11.14b-16.20-25 *Urbs fortissima inimicorum vastatur*

RESPONSORIUM **Iac 2,**24-26; **Hebr 11,**31

Ex operibus iustificatur homo et non ex fide tantum: Rahab nonne ex operibus iustificata est, suscipiens nuntios et alia via eiciens? * Sicut enim corpus sine spiritu, ita et fides sine operibus mortua est. ℣. Fide Rahab meretrix non petiit cum incredulis, excipiens exploratores cum pace. * Sicut.

[Brev. Cluniac.]

528 **Feria 5**

LECTIO **Ios 7,**1-13.16-26 *Scelus et paena Achan*

RESPONSORIUM **1 Cor 5,**2.5.7

Tollatur de medio vestrum qui malum opus fecit, in interitum carnis * Ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Iesu Christi. ℣. Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio sicut estis azymi. * Ut.

529 **Feria 6**

LECTIO **Ios 10,**1-15; **11,**15-20 *Populus Dei possidet terram*

RESPONSORIUM **Ez 34,**13.15

Congregabo oves de terris et inducam eas in terram suam; * Et pascam eas in montibus Israël, in rivis et in cunctis sedibus terrae. ℣. Ego pascam oves meas et ego eas accubare faciam. * Et pascam.

[Olim. in Brev. Rom.]

530 **Sabbato**

LECTIO **Ios 24,**1-8.13-25 *Foedus renovatur in terra promissa*

RESPONSORIUM **Ios 24,**16.24; **1 Cor 8,**5-6

Absit a nobis ut relinquamus Dominum et serviamus diis alienis: * Domino Deo nostro serviemus et obedientes erimus praeceptis eius. ℣. Etsi sunt qui dicantur dii sive in caelo sive in terra, nobis tamen unus Deus: * Domino.

[Brev. Paris.]

HEBDOMADA 23 PER ANNUM II

531 **Dominica**

LECTIO **2 Cor 1,1-14** *Gratiarum actio inter tribulationes*

RESPONSORIUM **Ps 93,18-19; 2 Cor 1,5**

Misericordia tua, Domine, adiuvabat me; * Secundum multidudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuae laetificaverunt animam meam. ℣. Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita et per Christum abundat consolatio nostra. * Secundum.

[Brev. Cluniac. 1779]

532 **Feria 2**

LECTIO **2 Cor 1,15-2,11** *Quare Apostolus iter suum mutaverit*

RESPONSORIUM **2 Cor 1,21-22; Dt 5,2.4**

Qui confirmat nos in Christo et qui unxit nos Deus, qui et signavit nos, * Et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris. ℣. Dominus Deus noster pepigit nobiscum foedus, facie ad faciem locutus est nobis. * Et dedit.

[Cf. Brev. Paris.]

533 **Feria 3**

LECTIO **2 Cor 2,12-3,6** *Ministerium Apostoli*

RESPONSORIUM **2 Cor 3,4-6**

Fiduciam habemus per Christum ad Deum, * Qui et idoneos nos fecit ministros novi Testamenti, non littera sed spiritu. ℣. Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est, * Qui.

[Brev. Cluniac.]

534 **Feria 4**

LECTIO **2 Cor 3,7-4,4** *Gloria ministrationis Novi Testamenti*

RESPONSORIUM **2 Cor 3,18; Phil 3,3**

Nos omnes, revelata facie, gloriam Domini speculantes, * In eandem imaginem transformamur a claritate in claritatem. ℣. Spiritu servimus Deo et gloriamur in Christo Iesu. * In.

535 **Feria 5**

LECTIO **2 Cor 4**,5-18 *Fragilitas et confidentia Apostoli*

RESPONSORIUM **2 Cor 4**,6; **Dt 5**,24

Deus qui dixit de tenebris lucem splendescere, * Ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiae claritatis Dei in facie Christi Iesu. ℣. Ecce ostendit nobis Dominus Deus noster maiestatem et magnitudinem suam: vocem eius audivimus. * Ipse.

[Brev. Paris.]

536 **Feria 6**

LECTIO **2 Cor 5**,1-21 *De domo caelesti et de ministerio reconciliationis*

RESPONSORIUM **2 Cor 5**,18; **Rom 8**,32

Deus nos reconciliavit sibi per Christum * Et dedit nobis ministerium reconciliationis. ℣. Proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. * Et.

537 **Sabbato**

LECTIO **2 Cor 6**,1-**7**,1 *Tribulationes ministerii et exhortatio ad sanctitatem*

RESPONSORIUM **2 Cor 6**,14.16; **1 Cor 3**,16

Quae participatio iustitiae cum iniquitate? Qui consensus templo Dei cum idolis? * Vos enim estis templum Dei vivi. ℣. Nescitis quia templum Dei estis et Spiritus Dei habitat in vobis? * Vos.

HEBDOMADA 24 PER ANNUM II

538 **Dominica**

LECTIO **2 Cor 7**,2-16 *Consolatur Apostolus de nuntiis per Titum allatis*

RESPONSORIUM **2 Cor 7**,10.9

Quae secundum Deum tristitia est paenitentiam in salutem stabilem operatur, * Saeculi autem tristitia mortem operatur. ℣. Contristati sumus secundum Deum, ut in nullo detrimentum patiamur. * Saeculi.

539 **Feria 2**

LECTIO **2 Cor 8**,1-24 *Commendatio collectae*

RESPONSORIUM **2 Cor 8**,9; **Phil 2**,7

Scitis gratiam Domini nostri Iesu Christi quoniam propter vos egenus factus est, cum esset dives, * Ut illius inopia vos divites essetis. ℣. Semetipsum exinanivit formam servi accipiens. * Ut illius.

540 **Feria 3**

LECTIO **2 Cor 9**,1-15 *Fructus spirituales collectae*

RESPONSORIUM **Lc 6**,38; **2 Cor 9**,7

Date et dabitur vobis: mensuram bonam et confertam et coagitatam et supereffluentem dabunt in sinum vestrum. * Eadem mensura qua mensi fueritis remetietur vobis. ℣. Unusquisque donet prout destinavit in corde suo, non ex tristitia aut ex necessitate: * Eadem.

541 **Feria 4**

LECTIO **2 Cor 10**,1-**11**,3 *Responsio Apostoli ad accusationes diversas*

RESPONSORIUM **2 Cor 10**,3-4; **Eph 6**,16

In carne ambulantes, non secundum carnem militamus. * Nam arma militiae nostrae non carnalia sunt. ℣. Sumentes scutum fidei et gladium Spiritus, quod est verbum Dei. * Nam.

542 **Feria 5**

LECTIO **2 Cor 11**,4-29a *Resistendum pseudoapostolis. Labores et merita Apostoli*

RESPONSORIUM **Gal 1**,11.12; **2 Cor 11**,10.7

Evangelium quod evangelizatum est a me non est secundum hominem. * Neque enim ego ab homine accepi illud, sed per revelationem Iesu Christi. ℣. Est veritas Christi in me, quoniam Evangelium Dei evangelizavi vobis. * Neque.

543 **Feria 6**

LECTIO **2 Cor 11,30-12,13** *Gloriatur Apostolus de infirmitatibus suis*

RESPONSORIUM **2 Cor 12,9; 4,7**

Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi, * Nam virtus in infirmitate perficitur. ℣. Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus, ut sublimitas sit virtutis Dei, * Nam.

544 **Sabbato**

LECTIO **2 Cor 12,14-13,13** *Proxima visitatio Pauli ad Corinthiorum emendationem*

RESPONSORIUM **2 Cor 13,11; Phil 4,7**

Gaudete, perfecti estote, pacem habete, * Et Deus pacis et dilectionis erit vobiscum. ℣. Pax Dei quae exsuperat omnem sensum custodiat corda vestra in Christo Iesu. * Et Deus.

HEBDOMADA 25 PER ANNUM II

545 **Dominica**

LECTIO **1 Th 1,1-10** *Inscriptio et gratiarum actio*

RESPONSORIUM **1 Th 1,9; 3,12**

Conversi estis ad Deum, servire Deo vivo et vero, et exspectare Filium eius de caelis quem suscitavit ex mortuis, * Qui eripuit nos ab ira ventura. ℣. Abundare faciat Dominus caritatem vestram, ad confirmanda corda vestra in sanctitate in adventu Domini. * Qui.

[Brev. Cluniac.]

546 **Feria 2**

LECTIO **1 Th 2,1-16** *Pauli habitudo cum Ecclesia Thessalonicensium*

RESPONSORIUM **1 Th 2,4.12**

Loquimur non quasi hominibus placentes, sed Deo, * Qui probat corda nostra. ℣. Testificati sumus ut ambuletis digne Deo, qui vocavit nos in suum regnum et gloriam. * Qui.

[Cf. Brev. Cluniac. 1779]

547 **Feria 3**

LECTIO **1 Th 2,17-3,13** *Missio Timothei ad Thessalonicenses*

RESPONSORIUM **1 Th 3,12-13; 2 Th 2,16-17**

Vos Dominus multiplicet et abundare faciat caritatem vestram in invicem et in omnes * Ad confirmandos vos in sanctitate. ℣. Ipse Dominus noster exhortetur corda vestra, * Ad confirmandos.

548 **Feria 4**

LECTIO **1 Th 4,1-12** *Hortatio de vita sancta*

RESPONSORIUM **1 Th 4,7-8; Ps 77,38**

Vocavit nos Deus non in immunditiam sed in sanctificationem; * Qui dedit Spiritum suum sanctum in nobis. ℣. Deus excelsus, ipse est misericors et propitius fiet peccatis nostris. * Qui.

[Cf. Brev. Paris.]

549 **Feria 5**

LECTIO **1 Th 4,13-5,3** *Resurrectio omnium in adventu Domini*

RESPONSORIUM **1 Th 4,15; Mc 13,27; Mt 24,31**

Ipse Dominus in iussu et in voce Archangeli et in tuba Dei descendet de caelo, * Et congregabit electos suos a quattuor ventis, a summo terrae usque ad summum caeli. ℣. Cum venerit filius hominis, mittet Angelos suos cum tuba et voce magna; * Et.

[Cf. Brev. Cluniac.]

550 **Feria 6**

LECTIO **1 Th 5,4-13a** *Conversatio filiorum lucis*

RESPONSORIUM **1 Th 5,9; Col 1,23**

Posuit nos Deus non in iram, sed in acquisitionem salutis per Dominum nostrum Iesum Christum, * Qui mortuus est pro nobis, ut simul cum illo vivamus. ℣. Eripuit nos Deus de potestate tenebrarum et transtulit in regnum Filii dilectionis suae, * Qui.

[Brev. Cluniac.]

551 **Sabbato**

LECTIO **1 Th 5**,13b-28 *Adhortationes, oratio, salutationes*

RESPONSORIUM **1 Th 5**,18.19

In omnibus gratias agite: * Sine intermissione orate. ℣. Haec est enim voluntas Dei in Christo Iesu in omnibus vobis. * Sine.

[Olim in Brev. Rom.]

HEBDOMADA 26 PER ANNUM II

552 **Dominica**

LECTIO **Tob 1**,1-25 *Pietas Tobiae senioris*

RESPONSORIUM **Tob 1**,19-20; **2**,9; **1**,15

Dividebat Tobias unicuique prout poterat de facultatibus suis, esurientes alebat; * Et plus timens Deum quam regem, mortuis atque occisis sepulturam sollicitus exhibebat. ℣. Pergebat ad omnes qui erant in captivitate et monita salutis dabat eis; * Et plus.

[Cf. Brev. Cluniac.]

553 **Feria 2**

LECTIO **Tob 2**,1-**3**,6 *Tribulatio Tobiae iusti*

RESPONSORIUM **Tob 3**,15.3; **Eccli 51**,12; **Tob 3**,2-3

Peto, Domine, ut de vinculo improperii huius absolvas me aut certe desuper terram eripias me: Ne reminiscaris delicta mea vel parentum meorum neque vindictam sumas de peccatis meis: * Quia eruis sustinentes te, Domine. ℣. Omnia enim iudicia tua iusta sunt et omnes viae tuae misericordia et veritas: et nunc, Domine, memento mei. * Quia.

[Cf. Brev. Rom.]

554 **Feria 3**

LECTIO **Tob 3**,7-25 *Miseria Sarae et preces eius*

RESPONSORIUM **Tob 3**,13.22

Benedictum est nomen tuum, Deus, qui cum iratus fueris, misericordiam facis, * Et in tempore tribulationis peccata dimittis his qui invocant te. ℣. Non delectaris in perditionibus nostris, quia post tempestatem tranquillum facis; post fletum, exsultationem infundis, * Et.

[Brev. Cluniac.]

555 **Feria 4**

Lectio **Tob 4,**1-5.20-23; **5,**1-22 *Tobias iunior iter aggreditur*

Responsorium **Tob 4,**20; **14,**10

Omni tempore benedic Deum et pete ab eo ut vias tuas dirigat, * Et in omni tempore consilia tua in ipso permaneant. ℣. Inquire ut facias quae placita sunt illi in veritate et in tota virtute tua. * Et in.

[Brev. Rom.]

556 **Feria 5**

Lectio **Tob 6,**1-22 *Iter Tobiae cum angelo*

Responsorium **Tob 4,**6; **13,**12

Omnibus diebus vitae tuae in mente habeto Deum, * Et cave ne aliquando peccato consentias et praetermittas praecepta Domini. ℣. Confitere Domino in bonis tuis et benedic Deum saeculorum. * Et cave.

557 **Feria 6**

Lectio **Tob 7,**1.9-20; **8,**4-16 *Nuptiae Tobiae et Sarae*

Responsorium **Tob 12,**6; **13,**4

Benedicite Deum caeli et coram omnibus viventibus confitemini ei, * Quia fecit vobiscum misericordiam suam. ℣. Ipsum benedicite et cantate illi: et enarrate omnia mirabilia eius. * Quia.

[Brev. Rom.]

558 **Sabbato**

Lectio **Tob 10,**8-**11,**7 *Reditus Tobiae ad patrem*

Responsorium **Tob 12,**8-9; **Lc 11,**41

Bona est oratio cum ieiunio et eleemosyna magis quam thesauros auri recondere. * Quoniam eleemosyna a morte liberat et facit invenire misericordiam et vitam aeternam. ℣. Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis. * Quoniam.

[Cf. Brev. Cluniac.]

HEBDOMADA 27 PER ANNUM II

559 Dominica

LECTIO **Ioël 2,1-11** *Invasio locustarum, signum advenientis diei Domini*

RESPONSORIUM **Ioel 2,11-13; Ap 6,16-17**

Magnus dies Domini et terribilis valde, quis sustinebit eum? * Nunc ergo convertimini ad Dominum Deum vestrum, quia benignus et misericors est. ℣. Venit dies magnus irae sedentis super thronum et Agni, et quis poterit stare? * Nunc.

[Brev. Cluniac.]

560 Feria 2

LECTIO **Ioël 2,12-32** *Conversio populi beatitudinem perfectam praeparans*

RESPONSORIUM **Ioel 2,23.32.28**

Filii Sion, exsultate et laetamini in Domino Deo vestro, quia dedit vobis doctorem iustitiae; * Et erit: Omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit. ℣. Super servos meos et ancillas in diebus illis effundam Spiritum meum. * Et erit.

[Brev. Cluniac.]

561 Feria 3

LECTIO **Ioël 3,1-3.9-21** *Ultimum iudicium et felicitas aeterna*

RESPONSORIUM **Ioel 3,18; Ap 22,1.17**

Stillabunt montes dulcedinem et per omnes rivos Iuda ibunt aquae et fons de domo Domini egredietur. * Qui sitit, veniat et qui vult accipiat aquam vitae gratis. ℣. Ostendit mihi Angelus fluvium aquae vitae, splendidum tamquam crystallum, procedentem de sede Dei et Agni. * Qui.

[Brev. Cluniac.]

562 Feria 4

LECTIO **2 Th 1,1-12** *Salutatio et gratiarum actio*

RESPONSORIUM **2 Th 1,10.7; Ps 67,35**

Veniet Dominus glorificari in sanctis suis. * Et admirabilis fiet in omnibus qui crediderunt. ℣. Mirabilis Deus in sanctis suis et sanctus in omnibus operibus suis. * Et admirabilis.

563 **Feria 5**

LECTIO **2 Th 2**,1-12 *Dies Domini*

RESPONSORIUM **Mt 24**,30; **2 Th 2**,8

Parebit signum Filii hominis in caelo * Et videbunt gentes Filium hominis venientem cum virtute multa et maiestate. ℣. Tunc revelabitur ille iniquus quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui. * Et.

564 **Feria 6**

LECTIO **2 Th 2**,13-**3**,5 *Apostolica traditio*

RESPONSORIUM **1 Th 4**,7; **2 Th 2**,13

Vocavit nos Deus non in immunditiam, sed in sanctificationem. * Qui dedit Spiritum sanctum in nobis. ℣. Elegit nos Deus in salutem, in sanctificatione Spiritus et in fide veritatis, * Qui.

565 **Sabbato**

LECTIO **2 Th 3**,6-18 *Hortationes et consilia*

RESPONSORIUM **1 Th 2**,13; **Eph 1**,13

Cum accepistis verbum Dei, * Accepistis illud non ut verbum hominum, sed, sicut est vere, verbum Dei. ℣. Audivistis verbum veritatis, Evangelium salutis vestrae. * Accepistis.

HEBDOMADA 28 PER ANNUM II

566 **Dominica**

LECTIO **1 Io 1**,1-**2**,2 *Verbum vitae et lux Dei*

RESPONSORIUM **1 Io 1**,2; **5**,20

Vita manifestata est et vidimus et testamur et annuntiamus vobis vitam aeternam, * Quae erat apud Patrem et apparuit nobis. ℣. Scimus quoniam Filius Dei venit: hic est verus Deus et vita aeterna. * Quae.

[Brev. Cluniac.]

567 **Feria 2**

LECTIO **1 Io 2**,3-17 *Observantia praeceptorum Christi*

RESPONSORIUM **Io 13**,34; **1 Io 2**,8.3

Mandatum novum do vobis ut diligatis invicem sicut dilexi vos. * Qui diligit fratrem suum, in lumine manet. ℣. In hoc scimus quoniam cognoscimus Christum, si mandata eius observemus. * Qui.

568 **Feria 3**

LECTIO **1 Io 2**,18-29 *Vera scientia*

RESPONSORIUM **1 Io 2**,27; **Ioel 2**,23

Unctio quam accepistis maneat in vobis; * Et non necesse habetis ut aliquis doceat vos; sed unctio eius docet vos de omnibus. ℣. Exsultate et laetamini in Domino Deo vestro quia dedit vobis doctorem iustitiae. * Et.

[Brev. Cluniac.]

569 **Feria 4**

LECTIO **1 Io 3**,1-13 *Caritas Dei*

RESPONSORIUM **1 Io 3**,1.2

Videte qualem caritatem dedit nobis Deus Pater, * Ut filii Dei nominemur et simus. ℣. Scimus quoniam cum apparuerit similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. * Ut.

[Brev. Rom.]

570 **Feria 5**

LECTIO **1 Io 3**,14-**4**,6 *Dilectio in operibus servanda*

RESPONSORIUM **1 Io 3**,24; **Eccli 1**,9.10

Qui servat mandata Dei in illo manet et ipse in eo, * Et in hoc scimus quoniam manet in nobis de Spiritu quem dedit nobis. ℣. Deus creavit sapientiam in Spiritu sancto et effudit illam super omnem carnem. * Et in hoc.

571 **Feria 6**

LECTIO **1 Io 4**,7-**5**,2 *Dilectio perfecta*

RESPONSORIUM **1 Io 4**,10.16; **Is 63**,8.9

Deus ipse prior dilexit nos et misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris: * Et nos cognovimus et credidimus caritati quam habet Deus in nobis. ℣. Dominus factus est nobis Salvator; in dilectione sua ipse redemit nos. * Et nos.

[Cf. Brev. Paris.]

572 **Sabbato**

LECTIO **1 Io 5**,3-21 *Testimonium Dei per Christum*

RESPONSORIUM **1 Io 5**,6; **Zach 13**,1

Hic est qui venit per aquam et sanguinem, Iesus Christus; non in aqua solum, sed in aqua et sanguine. * Spiritus est qui testificat quoniam Christus est veritas. ℣. In die illa erit fons patens domui David et habitantibus Ierusalem in ablutionem peccatoris. * Spiritus.

HEBDOMADA 29 PER ANNUM II

573 **Dominica**

LECTIO **Sap 1**,1-15 *Laus Sapientiae Dei*

RESPONSORIUM **Prov 3**,13.17; **Iac 3**,17

Beatus homo qui invenit sapientiam: pretiosior est cunctis opibus; * Viae eius viae pulchrae et omnes semitae illius pacificae. ℣. Quae desursum est sapientia pudica est, pacifica, modesta, plena misericordia et fructibus bonis. * Viae.

[Brev. Paris.]

574 **Feria 2**

LECTIO **Sap 1**,16; **2**,1-3.6-13.16b-25 *Impiorum contra iustum stultae cogitationes*

RESPONSORIUM **Sap 2**,1.12.13.16-18; **Mt 27**,43

Dixerunt impii: Circumveniamus iustum, quoniam contrarius est operibus nostris: Filium Dei se nominat: * Videamus si sermones illius veri sint, et si est vere Filius Dei, liberet eum de manibus nostris. ℣. Confidit in Deo: liberet nunc, si vult eum: dixit enim: Filius Dei sum. * Videamus.

[Cf. Brev. Rom.]

575 **Feria 3**

LECTIO **Sap 3,**1-13a *Iusti regnum possidebunt*

RESPONSORIUM **Sap 3,**6.9

Tamquam aurum in fornace probavit electos Dominus et quasi holocausti hostiam accepit illos: et in tempore erit respectus illorum: * Quoniam donum et pax est electis Dei. ℣. Qui confidunt in illum intelligent veritatem, et fideles in dilectione acquiescent illi. * Quoniam.

[Brev. Rom.]

576 **Feria 4**

LECTIO **Sap 3,**13b-**4,**14a *Vera et falsa felicitas*

RESPONSORIUM **Sap 4,**1; **Iac 1,**27

O quam pulchra est casta generatio cum claritate! * Quoniam et apud Deum nota est et apud homines. ℣. Religio munda apud Deum et Patrem haec est, immaculatum se custodire ab hoc saeculo. * Quoniam.

[Cf. Brev. Paris.]

577 **Feria 5**

LECTIO **Sap 4,**15-20; **5,**3.6-16 *Pravi homines a Deo damnantur*

RESPONSORIUM **1 Io 3,**7.8.10

Nemo vos seducat; qui facit iustitiam, iustus est; * Qui facit peccatum ex diabolo est; quoniam ab initio diabolus peccat. ℣. In hoc manifesti sunt filii Dei et diaboli. * Qui.

[Cf. Brev. Cluniac.]

578 **Feria 6**

LECTIO **Sap 6,**1-23 *Sapientia diligenda*

RESPONSORIUM **Sap 7,**13-14; **3,**11; **7,**28

Sapientiam sine fictione didici et sine invidia communico: * Infinitus enim thesaurus est hominibus. ℣. Sapientiam et disciplinam qui abiecit, infelix est; neminem enim diligit Deus, nisi eum qui cum sapientia inhabitat. * Infinitus.

579 **Sabbato**

LECTIO **Sap 7**,15-30 *Sapientia imago Dei*

RESPONSORIUM **Col 1**,15-16; **Sap 7**,26

Christus Iesus est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturae * Quoniam in ipso condita sunt universa. ℣. Candor est lucis aeternae et imago bonitatis Dei, * Quoniam.

HEBDOMADA 30 PER ANNUM II

580 **Dominica**

LECTIO **Sap 8**,1-31 *Sapientia a Deo postulanda*

RESPONSORIUM **Sap 7**,7-8; **Iac 1**,5

Optavi et datus est mihi sensus; * Invocavi et venit in me spiritus sapientiae et praeposui illam regnis et sedibus. ℣. Si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo qui dat omnibus affluenter et non improperat, et dabitur ei. * Invocavi.

[Brev. Cluniac.]

581 **Feria 2**

LECTIO **Sap 9**,1-19 *Oratio ad sapientiam obtinendam*

RESPONSORIUM **Sap 9**,10.4

Emitte, Domine, sapientiam de sede magnitudinis tuae, ut mecum sit et mecum laboret: * Ut sciam quid acceptum sit coram te omni tempore. ℣. Da mihi, Domine, sedium tuarum assistricem sapientiam. * Ut.

[Brev. Rom.]

582 **Feria 3**

LECTIO **Sap 10**,1-**11**,4 *Per sapientiam patres salvati sunt*

RESPONSORIUM **Sap 10**,17-18.19

Reddidit Deus iusto mercedem laborum suorum et deduxit illum in via mirabili, * Et fuit illi in velamento diei et in luce stellarum per noctem. ℣. Transvexit illum per aquam nimiam, inimicos autem illius demersit. * Et fuit.

[Brev. Rom.]

583 **Feria 4**

LECTIO **Sap 11**,21b-27; **12**,1-2.11b-19 *Amicus noster Deus miseretur peccatorum*

RESPONSORIUM **Sap 11**,24.27; **Ps 56**,2

Misereris omnium, Domine, et nihil odisti eorum quae fecisti, dissimulans peccata hominum propter paenitentiam et parcens illis: * Quia tu es Dominus Deus noster. ℣. Miserere mei, Deus, miserere mei, quoniam in te confidit anima mea. * Quia.

584 **Feria 5**

LECTIO **Sap 13**,1-10; **14**,15-21; **15**,1-6 *Sapiens idola reprobat*

RESPONSORIUM **Rom 1**,20; **Sap 13**,5.1

Invisibilia Dei per ea quae facta sunt intellecta conspiciuntur. * A magnitudine enim creaturae cognoscibiliter poterit creator horum videri. ℣. Vani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei. * A magnitudine.

585 **Feria 6**

LECTIO **Sap 16**,2.5-13.20-26 *Beneficia Dei erga populum suum*

RESPONSORIUM **Sap 16**,20; **Io 6**,59

Angelorum esca nutrivisti populum tuum et paratum panem de caelo praestitisti illis sine labore, * Omne delectamentum in se habentem. ℣. Hic est panis qui de caelo descendit: in aeternum vivet qui manducat hunc panem. * Omne.

586 **Sabbato**

LECTIO **Sap 18**,1-15a; **19**,5-9.20b *Nox paschalis*

RESPONSORIUM **Sap 19**,5-7; **Ps 77**,20

Sancti tui, Domine, mirabile consecuti sunt iter, servientes praeceptis tuis, ut invenirentur illaesi in aquis validis: * Terra apparuit arida et in Mari Rubro via sine impedimento. ℣. Quoniam percussit petram et fluxerunt aquae et torrentes inundaverunt. * Terra.

[Brev. Rom.]

HEBDOMADA 31 PER ANNUM II

587 **Dominica**

LECTIO **Ap 1**,1-20 *Visio Filii hominis*

RESPONSORIUM **Ap 1**,5-6; **Col 1**,18

Christus dilexit nos et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo. * Ipsi gloria et imperium in saecula saeculorum. Amen. ℣. Qui est principium, primogenitus ex mortuis, ut sit in omnibus ipse primatum tenens. * Ipsi.

[Brev. Cluniac.]

588 **Feria 2**

LECTIO **Ap 2**,1-11 *Ad Ecclesias Ephesi et Smyrnae*

RESPONSORIUM **Ap 2**,10-11; **Eccli 4**,33

Esto fidelis usque ad mortem et dabo tibi coronam vitae: * Qui vicerit non laedetur a morte secunda. ℣. Usque ad mortem certa pro iustitia et Deus expugnabit pro te inimicos tuos. * Qui.

[Brev. Paris.]

589 **Feria 3**

LECTIO **Ap 2**,12-29 *Ad Ecclesias Pergami et Thyatirae*

RESPONSORIUM **Ap 2**,18.23; **22**,12

Haec dicit Filius Dei qui habet oculos tamquam flammam ignis: Ego sum scrutans renes et corda, * Et dabo unicuique secundum opera sua. ℣. Ecce venio cito et merces mea mecum est. * Et dabo.

[Brev. Cluniac.]

590 **Feria 4**

LECTIO **Ap 3**,1-13 *Ad Ecclesias Sardis et Philadelphiae*

RESPONSORIUM **Mt 10**,32; **Ap 3**,5

Omnis qui confitebitur me coram hominibus, * Confitebor nomen eius coram Patre meo et coram angelis eius. ℣. Qui vicerit vestietur vestimentis albis et non delebo nomen eius de libro vitae. * Confitebor.

591 **Feria 5**

LECTIO **Ap 3,14-22** *Ad Ecclesiam Laodiceae*

RESPONSORIUM **Ap 3,20; 2,7**

Si quis audierit vocem meam et aperuerit mihi ianuam, * Intrabo et cenabo cum illo et ipse mecum. ℣. Vincenti dabo edere de ligno vitae quod est in paradiso Dei mei. * Intrabo.

592 **Feria 6**

LECTIO **Ap 4,1-11** *Visio Dei*

RESPONSORIUM **Ap 4,8; Is 6,3**

Animalia requiem non habebant die ac nocte dicentia: Sanctus, Sanctus, sanctus Dominus Deus omnipotens, qui erat et qui est et qui venturus est; * Plena est omnis terra gloria eius. ℣. Duo Seraphim clamabant alter ad alterum: Sanctus, sanctus, sanctus Dominus exercituum; * Plena.

593 **Sabbato**

LECTIO **Ap 5,1-14** *Visio Agni*

RESPONSORIUM **Ap 5,9.10**

Dignus es, Domine, accipere librum et aperire signacula eius, quoniam occisus es * Et redemisti nos in sanguine tuo. ℣. Fecisti enim nos Deo nostro regnum et sacerdotes. * Et redemisti.

[Cf. Brev. Rom.]

HEBDOMADA 32 PER ANNUM II

594 **Dominica**

LECTIO **Ap 6,1-17** *Agnus sigilla aperit*

RESPONSORIUM **Ap 6,9.10.11**

Sub altare Dei audivi voces occisorum dicentium: Quare non defendis sanguinem nostrum? * Et acceperunt divinum responsum: Adhuc sustinete modicum tempus, donec impleatur numerus fratrum vestrorum. ℣. Vidi sub altare Dei animas interfectorum propter verbum Dei et propter testimonium quod habebant. * Et acceperunt.

[Cf. Brev. Rom.]

595 **Feria 2**

Lectio **Ap 7,1-17** *Turba magna sigillo Dei signata*

Responsorium **Ap 7,13.14; 6,9**

Isti qui amicti sunt stolis albis qui sunt et unde venerunt? Et dixit mihi: * Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna et laverunt stolas suas et dealbaverunt eas in sanguine agni. ℣. Vidi sub altare Dei animas interfectorum propter verbum Dei et propter testimonium quod habebant. * Hi sunt.

596 **Feria 3**

Lectio **Ap 8,1-13** *Septem Angeli mundum castigant*

Responsorium **Ap 8,3-4; 5,8**

Stetit Angelus iuxta aram templi, habens thuribulum aureum in manu sua et data sunt ei incensa multa; * Et ascendit fumus aromatum in conspectu Dei ℣. Habebant Angeli singuli phialas plenas odoramentorum quae sunt orationes sanctorum. * Et.

[Brev. Rom.]

597 **Feria 4**

Lectio **Ap 9,1-12** *Plaga locustarum*

Responsorium **Ioel 2,10.11; Ap 9,6**

Moti sunt caeli et contremuit terra, sol et luna obtenebrati sunt et stellae retraxerunt splendorem suum; * Magnus enim dies Domini et terribilis valde et quis sustinebit eum? ℣. In diebus illis quaerent homines mortem et non invenient eam; desiderabunt mori et fugiet mors ab eis. * Magnus.

598 **Feria 5**

Lectio **Ap 9,13-21** *Plaga belli*

Responsorium **Act 17,30.31; Ioel 1,13.14**

Omnes ubique paenitentiam agant, * Quia Deus statuit diem in quo iudicaturus est orbem in aequitate. ℣. Ministri Dei, congregate omnes habitatores terrae, et clamate ad Dominum. * Quia.

599 **Feria 6**

LECTIO **Ap 10**,1-11 *Mysterium Dei consummabitur*

RESPONSORIUM **Ap 10**,7; **Mt 24**,30

Cum coeperit tuba canere consummabitur mysterium Dei, * Sicut evangelizavit per servos suos prophetas. ℣. Tunc parebit signum Filii hominis in caelo et videbunt Filium hominis in nubibus caeli cum virtute multa et maiestate. * Sicut.

600 **Sabbato**

LECTIO **Ap 11**,1-19 *Duo testes invicti*

RESPONSORIUM **Ap 11**,15; **Dan 7**,27

Factum est regnum huius mundi Domini nostri et Christi eius: * Et regnabit in saecula saeculorum. ℣. Regnum eius regnum sempiternum est et omnes reges servient ei et obedient, * Et.

HEBDOMADA 33 PER ANNUM II

601 **Dominica**

LECTIO **Ap 12**,1-18 *Signum mulieris*

RESPONSORIUM **Ap 12**,11.12; **2 Mach 7**,36

Vicerunt propter sanguinem Agni et propter verbum testimonii sui et non dilexerunt animas suas usque ad mortem: * Propterea laetamini, caeli, et qui habitatis in eis. ℣. Modico dolore sustentato sub testamento aeternae vitae effecti sunt. * Propterea.

[Brev. Paris.]

602 **Feria 2**

LECTIO **Ap 13**,1-18 *Duae bestiae*

RESPONSORIUM **Mt 7**,15; **24**,11.24

Attendite a falsis prophetis: veniunt ad vos in vestimentis ovium, * Intrinsecus autem sunt lupi rapaces. ℣. Multi pseudoprophetae surgent et dabunt signa magna et seducent multos. * Intrinsecus.

603 **Feria 3**

LECTIO **Ap 14,1-13** *Agnus iam victor*

RESPONSORIUM **Ap 14,7.6**

Audivi vocem in caelo Angelorum multorum dicentium: * Timete Dominum et date claritatem illi et adorate eum qui fecit caelum et terram, mare et fontes aquarum. ℣. Vidi Angelum Dei fortem volantem per medium caeli, voce magna clamantem et dicentem. * Timete.

[Brev. Rom.]

604 **Feria 4**

LECTIO **Ap 14,14-15,4** *Filius hominis falcem ponit ad messem*

RESPONSORIUM **Ap 15,3; Ex 15,11**

Cantabant canticum Agni dicentes: Magna et mirabilia sunt opera tua, Domine Deus omnipotens: * Iustae et verae sunt viae tuae, Rex saeculorum. ℣. Quis similis tui in fortibus, Domine? Quis similis tui? Magnificus in sanctitate, faciens mirabilia: * Iustae.

[Brev. Paris.]

605 **Feria 5**

LECTIO **Ap 15,5-16,21** *Quattuor phialae iracundiae Dei et pugna in Armagedon*

RESPONSORIUM **Mt 24,43; Ap 16,15; 1 Th 5,3**

Si sciret paterfamilias qua hora fur venturus esset, vigilaret utique: * Ecce venio sicut fur, dicit Dominus, beatus qui vigilat. ℣. Cum dixerint homines: Pax et securitas, tunc repentinus superveniet interitus. * Ecce venio.

606 **Feria 6**

LECTIO **Ap 17,1-18** *Meretrix magna*

RESPONSORIUM **Ap 17,14; 6,2**

Reges terrae cum Agno pugnabunt et Agnus vincet illos: * Quoniam dominus dominorum est et Rex regum. ℣. Data est ei corona et exivit vincens ut vinceret. * Quoniam.

607 **Sabbato**

LECTIO **Ap 18,1-20** *Eversio Babylonis*

RESPONSORIUM **Ap 18,4; Ier 51,45; Is 52,11**

Egredimini de medio Babylonis, popule meus, * Ut salvet unusquisque animam suam ab ira furoris Domini. ℣. Exite de medio eius, mundamini, qui fertis vasa Domini. * Ut.

HEBDOMADA 34 SEU ULTIMA PER ANNUM II

608 **Dominica. DNIC universorum Regis**

LECTIO **Ap 18,21-19,10** *Nuptiae Agni praedictae*

RESPONSORIUM **Ap 19,6; 12,10; 19,5**

Audivi vocem de caelo tamquam vocem tonitrui magni, alleluia: Regnabit Deus noster in aeternum, alleluia: * Quia facta est salus et virtus et potestas Christi eius, alleluia, alleluia. ℣. Et vox de throno exivit dicens: Laudem dicite Deo nostro, omnes Sancti eius et qui timetis Deum, pusilli et magni. * Quia.

[Brev. Rom.]

609 **Feria 2**

LECTIO **Ap 19,11-21** *Verbi Dei victoria*

RESPONSORIUM **Ap 19,13.15.16**

Vestitus erat veste aspersa sanguine et vocatur nomen eius Verbum Dei: * Ipse calcat torcular vini furoris irae Dei omnipotentis. ℣. Habet in vestimento et in femore suo scriptum: Rex regum et Dominus dominantium. * Ipse.

610 **Feria 3**

LECTIO **Ap 20,1-10** *Ultima pugna draconis*

RESPONSORIUM **1 Cor 15,25.26; Ap 20,13.14**

Oportet Christum regnare donec ponat omnes inimicos sub pedibus eius. * Novissima autem inimica destruetur mors. ℣. Tunc dabunt mors et infernus mortuos suos et mittentur in stagnum ignis. * Novissima.

611 **Feria 4**

LECTIO **Ap 20**,11-15 *Ultimum iudicium*

RESPONSURIUM **Mt 25**,31-33; **Eccli 16**,15

Cum venerit Filius hominis in maiestate sua et omnes angeli cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suae et congregabuntur ante eum omnes gentes. * Statuet oves a dextris suis, haedos autem a sinistris. ℣ Omnis misericordia faciet locum unicuique secundum meritum operum suorum. * Statuet.

[Cf. Brev. Paris.]

612 **Feria 5**

LECTIO **Ap 21**,1-14 *Caelum novum et terra nova*

RESPONSORIUM **Ap 21**,3.4

Ecce tabernaculum Dei cum hominibus et habitabit cum eis; * Et absterget Deus omnem lacrimam ab oculis eorum. ℣. Mors ultra non erit neque luctus neque clamor neque dolor erit ultra, quia prima abierunt. * Et.

613 **Feria 6**

LECTIO **Ap 21**,15-**22**,5 *Ierusalem caelestis*

RESPONSORIUM **Tob 13**,21.22.13

Plateae tuae, Ierusalem, sternentur auro mundo, alleluia: et cantabitur in te canticum laetitiae, alleluia: * Et per omnes vicos tuos ab universis dicetur: alleluia, alleluia. ℣. Luce splendida fulgebis et omnes fines terrae adorabunt te. * Et.

[Brev. Rom.]

614 **Sabbato**

LECTIO **Ap 22**,6-21 *Attestatio spei nostrae*

RESPONSORIUM **Ap 22**,16.17.20; **Is 55**,1.3

Ego sum radix et genus David stella splendida et matutina; et Spiritus et sponsa dicunt Veni; * Et qui audit dicat: Veni; Amen, veni, Domine Iesu. ℣. Omnes sitientes venite ad aquas: inclinate aurem vestram et venite ad me. * Et qui audit.

[Cf. Brev. Paris.]

VI. SOLLEMNITATES TEMPORE «PER ANNUM» OCCURRENTES

615 **Dom post Pentecosten**
SS. Trinitatis

LECTIO **Eph 1,**1-14 *Magnum Dei voluntatis mysterium*

RESPONSORIUM **Eph 1,**17-18; **1 Cor 2,**12

Deus Domini nostri Iesu Christi, Pater gloriae, det vobis Spiritum sapientiae et revelationis in agnitione eius, ut sciatis * Quae sit spes vocationis eius et quae divitiae gloriae hereditatis eius in sanctis. ℣. Non spiritum huius mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quae a Deo donata sunt nobis. * Quae.

[Brev. Cluniac.]

616 **Fer 5 Hebd 2 post Pentecosten**
Sollemnitas Sanctissimae Eucharistiae

LECTIO **Ex 16,**1-15 *Manna*

RESPONSORIUM **Io 6,**48.49.50.51.52

Ego sum panis vitae: patres vestri manducaverunt manna in deserto, et mortui sunt: * Hic est panis de caelo descendens, ut si quis ex ipso manducet, non moriatur. ℣. Ego sum panis vivus, qui de caelo descendi: si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum. * Hic est.

[Brev. Rom.]

617 **Fer 6 Hebd 3 post Pentecosten**
Sollemnitas Sacratissimi Cordis Iesu

LECTIO **Rom 5,**1-21 *Caritas Dei in Christo manifestatur*

RESPONSORIUM **Eph 2,**5.4.7

Cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos Deus in Christo * Propter nimiam caritatem suam qua dilexit nos. ℣. Ut ostenderet in saeculis supervenientibus abundantes divitias gratiae suae. * Propter.

[Brev. Rom.]

VII. SOLLEMNITATES ET FESTA B. MARIAE VIRG. ET SANCTORUM

618 Die 8 decembris

In Conceptione Immaculata beatae Mariae Virginis

LECTIO **Rom 5**,12-21 *Si unius delicto mors regnavit, multo magis gratia Dei per unum Iesum Christum in plures abundavit*

RESPONSORIUM **Rom 5**,12; **Lc 1**,30; **Ps 114**,8; **17**,19

Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, in quo omnes peccaverunt. * Ne timeas, Maria, invenisti gratiam apud Deum. ℣. Eripuit Dominus animam meam de morte, et contra inimicum factus est protector meus. * Ne.

[Brev. Rom.]

619 Die 2 februarii

In Praesentatione Domini

LECTIO **Ex 13**,1-3a.11-16 *Consecratio primogeniti*

RESPONSORIUM

Adorna thalamum tuum, Sion, et suscipe Regem Christum: * Quem virgo concepit, virgo peperit, virgo post partum, quem genuit, adoravit. ℣. Accipiens Simeon puerum in manibus, gratias agens benedixit Dominum. * Quem.

[Brev. Rom.]

620 Die 22 februarii

Cathedrae sancti Petri, Apostoli

LECTIO **Act 11**,1-18 *Petrus narrat Apostolis conversionem gentium*

RESPONSORIUM **Lc 22**,32; **Mt 16**,17

Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua: * Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos. ℣. Caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui est in caelis. * Et.

[Brev. Rom.]

621 Die 19 martii

Sancti Ioseph, sponsi beatae Mariae Virginis

LECTIO **Eccli 15,**1-10 *Beatitudo Iusti*

RESPONSORIUM **Lc 2,**4-5

Ascendit Ioseph a Galilaea de civitate Nazareth in Iudaeam, in civitatem David, quae vocatur Bethleem, * Eo quod esset de domo et familia David. ℣. Ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore. * Eo quod.

[Brev. Rom.]

622 Die 25 martii

In Annuntiatione Domini

LECTIO **2 Sam 7,**4.8-18.27-29 *Vaticinium de filio David*

RESPONSORIUM **Lc 1,**26.27.29.30.31.32

Missus est Gabriel Angelus ad Mariam Virginem desponsatam Ioseph, nuntians ei verbum; et expavescit Virgo de lumine: ne timeas, Maria, invenisti gratiam apud Dominum: * Ecce concipies et paries, et vocabitur Altissimi Filius (*T.P.*alleluia). ℣. Dabit ei Dominus Deus sedem David, patris eius, et regnabit in domo Iacob in aeternum. * Ecce.

[Brev. Rom.]

623 *Die 25 aprilis.* S. Marci, Evangelistae. Cf. n. **639**

624 *Die 3 maii:* Ss. Philippi et Iacobi, Apostolorum. Cf. n. **639**

625 Die 31 maii

In Visitatione beatae Mariae Virginis

LECTIO **Ct 2,**8-14; **8,**6-7 *Adventus dilecti*

RESPONSORIUM **Lc 1,**41-43.44

Repleta est Spiritu Sancto Elisabeth et exclamavit: Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui; * Et unde hoc mihi ut veniat mater Domini mei ad me? ℣. Ecce enim ut facta est vox salutationis tuae in auribus meis, exsultavit in gaudio infans in utero meo. * Et unde.

[Brev. Rom.]

626 Die 24 iunii

In Nativitate Sancti Ioannis Baptistae

LECTIO **Ier 1**,1-10.17-19 *Vocatio prophetae*

RESPONSORIUM **Ier 1**,5; **Lc 1**,76

Priusquam te formarem in utero, novi te, et antequam exires de vulva sanctificavi te. * Et prophetam in gentibus dedi te. ℣. Et tu propheta Altissimi vocaberis. * Et prophetam.

627 Die 29 iunii

Sanctorum Petri et Pauli, Apostolorum

LECTIO **Act 10**,1-48 *Petrus in domo Cornelii*

RESPONSORIUM

Isti sunt qui viventes in carne plantaverunt Ecclesiam sanguine suo: * Calicem Domini biberunt, et amici Dei facti sunt. ℣. In omnem terram exivit sonus eorum et in fines terrae verba eorum. * Calicem.

[Brev. Rom.]

627a *Die* 26 *iulii.* SS. Ioachim et Anna, parentum B.M.V. Cf. pag. 319

628 Die 6 augusti

In Transfiguratione Domini

LECTIO **Ex 34**,1-9.29-35 *Moyses clarificatur in monte*

RESPONSORIUM **Ex 34**,33.35; **2 Cor 3**,13.18

Moyses ponebat velamen super faciem suam, ut non intenderent filii Israel in faciem eius: * Nos vero revelata facie gloriam Domini speculantes in eamdem imaginem transformamur. ℣. Operiebat ille faciem suam, si quando loquebatur ad eos. * Nos vero.

[Brev. Maur.]

629 Die 15 augusti

In Assumptione beatae Mariae Virginis

LECTIO **Ap 12**,1-17 *Signum magnum mulieris in caelo*

RESPONSORIUM **1 Cor 15**,54.57; **Ap 12**,1

Cum mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo qui scriptus est: Absorpta est mors in victoria. * Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum

Christum. ℣. Signum magnum apparuit in caelo: mulier amicta sole, et luna sub pedibus eius, et in capite eius corona stallarum duodecim. * Deo.

630 Die 8 septembris

In Nativitate beatae Mariae Virginis

LECTIO **Eccli 24**,2-16.22-31 (LXX: **24**,2-12.16-22) *Sapientia requiescit in Israel*

RESPONSORIUM

Nativitas tua, Dei Genitrix Virgo, gaudium annuntiavit universo mundo; ex te enim ortusest sol iustitiae, Christus Deus noster, * Qui solvens maledictionem dedit benedictionem, et confundens mortem donavit nobis vitam sempiternam. ℣. Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui. * Qui.

[Brev. Rom.]

631 Die 14 septembris

In Exaltatione sanctae Crucis

LECTIO **Gal 2**,19-**3**,7.13-14; **6**,14-18 *Gloria crucis*

RESPONSORIUM

Nos autem gloriari oportet in Cruce Domini nostri Iesu Christi, in quo est salus, vita et resurrectio nostra: * Per quem salvati et liberati sumus. ℣. Tuam Crucem adoramus, Domine, et recolimus tuam gloriosam passionem. * Per quem.

[Brev. Rom.]

631a *Die 29 sept.* SS. Michaëlis, Gabrielis et Raphaëlis, archang. Cf. pag. 319

632 *Die 18 octobris.* S. Lucae, Evangelistae. Cf. n. **639**

633 *Die 28 octobris.* Ss. Simonis et Iudae, Apostolorum. Cf. n. **639**

634 Die 1 novembris

Omnium Sanctorum

LECTIO **Apoc 4**,1-8; **5**,1-14

RESPONSORIUM **Ap 11**,17-18; **Ps 144**,10

Gratias agimus tibi, Domine Deus omnipotens, qui es et qui eras et qui venturus es, * Quia regnasti et advenit tempus reddere mercedem servis tuise t sanctis. ℣. Confiteantur tibi, Domine, omnia opera tua et sancti tui benedicant tibi. * Quia.

[Brev. Paris.]

634a *Die 2 novembris.* In Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum
Cf. pag. 319

635

Die 9 novembris

In dedicatione Basilicae Lateranensis

LECTIO **1 Reg 8**,1.6.10-14.22-23.27-30.54-61 *Translatio Arcae in templum. Oratio Salomonis*

RESPONSORIUM **Mt 18**,19-20; **2 Chron 7**,15

Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcumque petierint fiet illis a Patre meo qui in caelis est. * Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. ℣. Oculi mei erunt aperti, et aures meae erectae ad orationem eius qui in loco isto oraverit. * Ubi.

[Brev. Maur.]

636

Die 30 novembris

Sancti Andreae, Apostoli

LECTIO **1 Cor 1**,17-**2**,5 *Apostoli praedicant crucem*

RESPONSORIUM **Mt 4**,18.19

Cum perambularet Dominus iuxta mare Galileae, vidit Petrum et Andream retia mittentes in mare, et vocavit eos dicens: * Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum. ℣. Erant enim piscatores, et ait illis. * Venite.

[Brev. Rom.]

VIII. COMMUNIA

637 **In Dedicatione ecclesiae**

LECTIO **Ap 21**,9-23 *Ierusalem caelestis*

RESPONSORIUM **Tob 13**,21; **Ap. 21**,19-21

Lapides pretiosi omnes muri tui. * Et turres Ierusalem gemmis aedificabuntur. ℣. Portae Ierusalem ex sapphiro et smaragdo aedificabuntur, et ex lapide pretioso omnis circuitus muri eius. * Et turres.

[Brev. Rom.]

638 **In Festis beatae Mariae Virginis**

LECTIONES **2 Sam 7**,4.8-18.27-29 *Vaticinium de filio David*

Ct 2,8-14; **8**,6-7 *Adventus dilecti*

Eccli 24,2-16.22-31 (LXX: **24**,2-12.16-22) *Sapientia requiescit in Israel.*

Ap 12,1-17 *Signum magnum mulieris in caelo*

RESPONSORIA

1. Beata es, Virgo Maria, quae Dominum portasti, Creatorem mundi: * Genuisti qui te fecit, et in aeternum permanes Virgo. ℣. Ave, Maria, gratia plena; Dominus tecum. * Genuisti.

[Brev. Rom.]

Lc, 1,48-50

2. Beatam me dicent omnes generationes, * Quia fecit mihi Dominus magna qui potens est, et sanctum nomen eius. ℣. Et misericordia eius a progenie in progenies timentibus eum. * Quia.

[Brev. Rom.]

3. Congratulamini mihi, omnes qui diligitis Dominum: quia, cum essem parvula, placui Altissimo. * Et de meis visceribus genui Deum et hominem. ℣. Beatam me dicent omnes generationes, quia ancillam humilem respexit Deus. * Et de meis.

[Brev. Rom.]

4. Felix namque es, sacra Virgo Maria, et omni laude dignissima. * Quia ex te ortus est sol iustitiae, Christus, Deus noster. ℣. Ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto femineo sexu; sentiant omnes tuum iuvamen, quicumque celebrant tuam sanctam festivitatem. * Quia.

[Brev. Rom.]

639 **Commune Apostolorum**

LECTIONES *Pro Apostolo*

Act 5,12-32 *Apostoli in vita primaeva Ecclesiae*
1 Cor 1,18-**2**,5 *Apostoli praedicant crucem*
1 Cor 4,1-16 *Imitatores Apostoli sicut Apostolus imitator Christi*

Pro Evangelista
Eph 4,1-16 *Divisiones gratiarum in uno corpore*

RESPONSORIA

Extra T.P.: **Io 15**,15; **Mt 13**,11.16

Iam non dicam vos servos, vos autem dixi amicos, * Quia omnia quaecumque audivi a Patre meo, nota feci vobis. ℣. Vobis datum est nosse mysteria regni caelorum: vestri beati oculi quia vident et aures quia audiunt. * Quia.

[Cf. Brev. Cluniac.]

T.P.: **Act 4**,33.31

Virtute magna reddebant Apostoli * Testimonium resurrectionis Iesu Christi, Domini nostri, alleluia, alleluia. ℣. Repleti quidem Spiritu Sancto, loquebantur cum fiducia verbum Dei. * Testimonium.

[Brev. Rom.]

Commune Martyrum

I. Tempore paschali

640 LECTIO

Ap 19,1-16 « *Beati qui ad cenam nuptiarum Agni vocati sunt* »

RESPONSORIUM

Filiae Ierusalem, venite et videte Martyres cum coronis, quibus coronavit eos Dominus * In die sollemnitatis et laetitiae, alleluia, alleluia. ℣. Quoniam confortavit seras portarum tuarum, benedixit filios tuos in te. * In die.

[Brev. Rom.]

II. Extra tempus paschale

640a *Pro uno sancto martyre*

LECTIONES

Sap 4,7-17 « *Consummatus in brevi explevit tempora multa* ».
Rom 8,12-39 « *Superamus propter eum qui dilexit nos* ».

RESPONSORIUM

Iste Sanctus pro lege Dei sui certavit usque ad mortem et a verbis impiorum non timuit: * Fundatus enim erat supra firmam petram. ℣. Iste est qui contempsit vitam mundi et pervenit ad caelestia regna. * Fundatus.

[Brev. Rom.]

640b *Pro una sancta martyre*

LECTIO

Eccli 51, 1-17 « *Liberasti corpus meum a perditione* »

RESPONSORIUM **Eccli 51**,2; **Ps 30**,8

Confitebor nomini tuo, Domine; * Quoniam adiutor et protector factus es mihi. ℣. Exsultabo et laetabor in misericordia tua, Domine. * Quoniam.

[Brev. Maur.]

640c *Pro pluribus martyribus*

LECTIONES

Sap 3,1-19 « *Iustorum animae in manu Dei sunt* »
Rom 8,12-39 « *Superamus propter eum qui dilexit nos* »

RESPONSORIUM

Viri sancti gloriosum sanguinem fuderunt pro Domino, amaverunt Christum in vita sua, imitati sunt eum in morte sua: * Et ideo coronas triumphales meruerunt. ℣. Unus spiritus et una fides erat in eis. * Et ideo.

[Brev. Rom.]

Commune Sanctorum Virorum

Pro sancto pastore

640d a. Pro papa vel episcopo

LECTIONES

Act 20,17-36 *Paulus alloquitur praepositos Ecclesiae Mileti*

1 Tim 3,1-7; **4,**12-16	*Ministri Ecclesiae*
Tit 1,7-11; **2,**1-8	*Virtutes praepositi Ecclesiae*
Hebr 4,14-**5,**10	*Iesus Christus, Pontifex maximus*

RESPONSORIUM **Col 1,**25; **Dt 5,**5

Ecclesiae factus sum minister, * Secundum dispensationem quae data est mihi, ut impleam verbum Dei. ℣. Ego medius fui inter Dominum et vos, ut annuntiarem vobis verba eius. * Secundum.

640e b. Pro presbytero

LECTIONES

2 Cor 4,1-18	*Fragilitas et confidentia Apostoli*
1 Tim 5,17-22; **6,**10-14	*De presbyteris*

RESPONSORIUM **1 Cor 4,**1-2; **Prov 20,**6

Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei. * Hic iam quaeritur inter dispensatores ut fidelis quis inveniatur. ℣. Multi homines misericordes vocantur, virum autem fidelem quis inveniet? * Hic.

640f c. Pro diacono

LECTIONES

Act 6,1-6; **8,**1.4-8	*Institutio diaconorum*
Rom 12,4-21	*Ministeria diversa in Ecclesia*

RESPONSORIUM **1 Cor 9,**22; **Iob 29,**15-16

Factus sum infirmus, ut infirmos lucrifacerem. * Omnibus omnia factus sum ut omnes facerem salvos. ℣. Oculus fui caeco et pes claudo, pater eram pauperum. * Omnibus.

[Brev. Maur.]

640g d. Pro doctore Ecclesiae

LECTIONES

Eccli 39,1-14	*Conversatio viri sapientis*
Sap 7,7-21	*De thesauro Sapientiae*
2 Tim 2,1-7.14b-26	*Consilia Apostoli de fidelibus docendis*

RRSPONSORIUM **Eccli 15,5-6**

In medio Ecclesiae aperuit os eius, * Et implevit eum Dominus spiritu sapientiae et intellectus. ℣. Iucunditatem et exsultationem thesaurizavit super eum. * Et implevit.

[Brev. Rom.]

640h *Pro sancto religioso*

LECTIONES

Phil 3,7-21 *Hortatio ad vitam perfectam*
Col 3,9-17 *De vita novi hominis*
1 Io 4,7-21 *Dilectio perfecta*

RESPONSORIA **Lc 12,35-36; Mt 24,42**

1. Sint lumbi vestri praecincti, et lucernae ardentes in manibus vestris: * Et vos similes hominibus exspectantibus dominum suum, quando revertatur a nuptiis. ℣. Vigilate ergo, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit. * Et vos.

[Brev. Rom.].

Ier 32,37.39.40; Mt 18,20

2. Ecce congregabo eos et dabo eis cor unum et viam unam ut timeant me. * Et non desinam eis benefacere. ℣. Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. * Et non desinam.

1 Io 5,3; Eccli 23,37

3. Haec est caritas Dei, ut mandata eius custodiamus; * Et mandata eius gravia non sunt. ℣. Nihil dulcius quam respicere in mandatis Domini. * Et mandata.

[Brev. Maur.]

640i *Pro sancto laico*

LECTIONES

Sap 5,1-5.16-20 *« Stabunt iusti in magna constantia »*
Sap 8,2-13 *Sapientia acquirenda*
Rom 12,1-21 *Vita nova in cultu spirituali*
1 Petr 3,7-17 *Obligationes virorum discipulorum Christi*

RESPONSORIUM **1 Petr 1**,13.15; **Lev 11**,44

Succincti lumbos mentis vestrae, secundum eum qui vocavit vos, sanctum: * Et ipsi in omni conversatione sancti sitis. ℣. Ego enim sum Dominus Deus vester: sancti estote, quia ego sanctus sum. * Et ipsi

Commune Sanctarum Mulierum

640l *Pro sancta virgine*

LECTIO **1 Cor 7**,25-40 *De virginibus in Ecclesia*

RESPONSORIUM Ex S. Augustino, in **Ps 44**,26

Concupivit Rex speciem tuam quam ipse fecit: Deus tuus est, rex tuus est: * Rex tuus et ipse est sponsus tuus. ℣. Regi nubis Deo, ab illo dotata, ab illo decorata, ab illo redempta, ab illo sancta. * Rex tuus.

640m *Pro sancta religiosa*

LECTIONES **Phil 3**,7-21 *Hortatio ad vitam perfectam*
Col 3,9-17 *De vita nova*
1 Io 4,7-21 *Dilectio perfecta*

RESPONSORIUM

Regnum mundi et omnem ornatum saeculi contempsi, propter amorem Domini mei Iesu Christi: * Quem vidi, quem amavi, in quem credidi, quem dilexi. ℣. Eructavit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea Regi. * Quem

[Brev. Rom.]

640n *Pro sancta laica*

LECTIONES **Eccli 26**,1-4.13-24 *Mulier bona aestimanda*
Eph 5,22-33 *Coniugum munera*
1 Petr 3,1-6.8-17 *Mulierum officia*

RESPONSORIUM **Prov 31**,30-31

Fallax gratia et vana est pulchritudo: * Mulier timens Deum, ipsa laudabitur. ℣. Date ei de fructu manuum suarum et laudent eam in portis opera eius. * Mulier.

[Brev. Rom.]

LECTIONES BREVES

I. TEMPORE ADVENTUS

Dominica

641 AD LAUDES **Rom 13,11**

Fratres, hora est iam nos de somno surgere; nunc enim propior est nostra salus quam cum credidimus.

[Brev. Rom. Dom 1 Adv. L]

642 AD TERTIAM **Rom 13,12**

Nox praecessit, dies autem appropinquavit. Abiiciamus ergo opera tenebrarum, et induamur arma lucis.

[Brev. Rom. Dom 1 Adv. S]

643 AD SEXTAM **Rom 13,13-14**

Sicut in die honeste ambulemus, non in comessationibus et ebrietatibus, non in cubilibus et impudicitiis, non in contentione et aemulatione, sed induimini Dominum Iesum Christum.

[Brev. Rom. Dom 1 Adv. N]

644 AD NONAM **1 Th 3,12-13**

Abundare faciat Dominus caritatem vestram in invicem et in omnes, ad confirmanda corda vestra sine querela in sanctitate ante Deum et Patrem nostrum in adventu Domini nostri Iesu Christi cum omnibus sanctis eius.

645 AD 2 VESPERAS **Phil 4,4-5**

Fratres, gaudete in Domino semper, iterum dico: gaudete. Modestia vestra nota sit omnibus hominibus; Dominus enim prope est.

[Brev. Rom. Dom 3 Adv. L]

Feria 2

646 AD LAUDES **Is 2,3**

Venite et ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Iacob; et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis eius: quia de Sion exibit lex, et verbum Domini de Ierusalem.

[Brev. Rom. Fer. Adv. L]

647 AD TERTIAM **Is 10,20-21**

Et erit in die illa: residuum Israel et hi qui fugerint de domo Iacob innitentur super Dominum Sanctum Israel in veritate. Reliquiae convertentur, reliquiae Iacob ad Deum fortem.

648 AD SEXTAM **Is 10,24.27**

Haec dicit Dominus exercituum: Noli timere, populus meus habitator Sion. In die illa auferetur onus de humero tuo et iugum de collo tuo.

649 AD NONAM **Is 14,1**

Prope est ut veniat tempus eius, et dies eius non elongabuntur. Miserebitur enim Dominus Iacob et Israel salvabitur.

[Brev. Rom. Fer. Adv. N]

650 AD VESPERAS **Mt 2,6 (Mich 5,1.3)**

Et tu, Bethlehem, terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda: ex te enim exiet dux qui regat populum meum Israel.

Feria 3

651 AD LAUDES **Gen 49,10**

Non auferetur sceptrum de Iuda et dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est; et ipse erit exspectatio gentium.

[Brev. Rom. Fer. Adv. V]

652 AD TERTIAM **Ier 23,5**

Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et suscitabo David germen iustum; et regnabit rex et sapiens erit, et faciet iudicium et iustitiam in terra.

[Brev. Rom. Fer. Adv. T]

653 AD SEXTAM **Ier 23,6**

In diebus illis salvabitur Iuda, et Israel habitabit confidenter; et hoc est nomen quod vocabunt eum: Dominus iustus noster.

[Brev. Rom. Fer. Adv. S]

654 AD NONAM **Ez 34,15-16**

Ego pascam oves meas et ego eas accubare faciam, dicit Dominus Deus. Quod perierat requiram, et quod confractum fuerat alligabo, et quod infirmum fuerat consolidabo. Et pascam illas in iudicio.

655 AD VESPERAS **1 Cor 1,7-9**

Exspectamus revelationem Domini nostri Iesu Christi qui confirmabit nos usque in finem sine crimine, in die adventus Domini nostri Iesu Christi. Fidelis Deus per quem vocati sumus in societatem Filii eius.

Feria 4

656 AD LAUDES **Is 7,14-15**

Ecce, Virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen eius Emmanuel; butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum et eligere bonum.

657 AD TERTIAM **Is 2,11-12**

Oculi sublimes hominum humiliabuntur et incurvabitur altitudo virorum; exaltabitur autem Dominus solus in die illa.

658 AD SEXTAM **Is 12,2**

Ecce Deus salvator meus, fiducialiter agam et non timebo, quia fortitudo mea et laus mea Dominus, et factus est mihi in salutem.

659 AD NONAM **Dan 9,19**

Exaudi, Domine; placare, Domine; attende et fac; ne moreris propter temetipsum, Deus meus, quia nomen tuum invocatum est super populum tuum.

660 AD VESPERAS **1 Cor 4,5**

Nolite ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum et manifestabit consilia cordium. Et tunc laus erit unicuique a Deo.

[Dom. 4 Adv. N]

Feria 5

661 Ad Laudes **Is 45,8**

Rorate, caeli, desuper, et nubes pluant Iustum; aperiatur terra, et germinet Salvatorem, et iustitia oriatur simul.

662 Ad Tertiam **Mich 5,4-5**

Dominator in Israel stabit et pascet in fortitudine Domini, in sublimitate nominis Domini Dei sui; et convertentur quia nunc magnificabitur usque ad terminos terrae. Et erit iste Pax.

663 Ad Sextam **Agg 2,7.10**

Adhuc unum modicum est, et ego commovebo caelum et terram et mare et aridam. Magna erit gloria domus istius novissimae plus quam primae, et in loco isto dabo pacem, dicit Dominus exercituum.

664 Ad Nonam **Mal 4,2**

Orietur vobis timentibus nomen suum Sol iustitiae, et sanitas in pennis eius. Et egrediemini et salietis sicut vituli de armento, dicit Dominus exercituum.

665 Ad Vesperas **Iac 5,7-9**

Patientes estote, fratres, usque ad adventum Domini. Ecce agricola exspectat pretiosum fructum terrae, patienter ferens donec accipiat temporaneum et serotinum. Patientes igitur estote et vos et confirmate corda vestra, quoniam adventus Domini appropinquavit. Ecce iudex ante ianuam assistit.

Feria 6

666 Ad Laudes **Ier 30,21.22**

Haec dicit Dominus: Erit dux ex eo, et princeps de medio eius producetur; et applicabo eum et accedet ad me. Et eritis mihi in populum, et ego ero vobis in Deum.

667 Ad Tertiam **Ier 29,11.13**

Ego scio cogitationes quas ego cogito super vos, ait Dominus, cogitationes pacis et non afflictionis, ut dem vobis finem et patientiam. Quaeretis me et invenietis, cum quaesieritis me in toto corde vestro.

668 AD SEXTAM **Ier 30,18**

Haec dicit Dominus: Ecce ego convertam conversionem tabernaculorum Iacob, et tectis eius miserebor.

669 AD NONAM **Bar 3,5-6**

Noli meminisse iniquitatum patrum nostrorum; sed memento manus tuae et nominis tui in tempore isto, quia tu es Dominus Deus noster.

670 AD VESPERAS **2 Petr 3,8-9**

Carissimi, unus dies apud Dominum sicut mille anni, et mille anni sicut dies unus. Non tardat Dominus promissionem suam, sicut quidam existimant; sed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad paenitentiam reverti.

Sabbato

671 AD LAUDES **Is 11,1-2**

Egredietur virga de radice Iesse, et flos de radice eius ascendet, et requiescet super eum Spiritus Domini: Spiritus sapientiae et intellectus, Spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiae et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini.

672 AD TERTIAM **Is 4,2**

In die illa erit germen Domini in magnificentia et gloria, et fructus terrae sublimis, et exsultatio his qui salvati fuerint de Israel.

673 AD SEXTAM **Is 4,3**

Omnis qui relictus fuerit in Sion et residuus in Ierusalem sanctus vocabitur, omnis qui scriptus est in vita in Ierusalem.

674 AD NONAM **Is 61,11**

Sicut terra profert germen suum, et sicut hortus semen suum germinat, sic Dominus Deus germinabit iustitiam et laudem coram universis gentibus.

675 AD I VESPERAS DOMINICAE **1 Th 5,23-24**

Ipse Deus pacis sanctificet vos per omnia, ut integer spiritus vester et anima et corpus sine querela in adventu Domini nostri Iesu Christi servetur. Fidelis est qui vocavit vos, qui etiam faciet.

II. TEMPORE NATIVITATIS

1. PER HEBDOMADAM

Dominica

676 AD LAUDES **Sap 7,26-27**

Candor lucis aeternae est sapientia et speculum sine macula Dei maiestatis, et imago bonitatis illius. Et cum sit una, omnia potest, et in se permanens omnia innovat, et per nationes in animas sanctas se transfert, amicos Dei et prophetas constituit.

677 AD TERTIAM **Eph 1,5-6**

Praedestinavit nos Deus in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum, secundum propositum voluntatis suae, in laudem gloriae gratiae suae.

678 AD SEXTAM **Eph 1,10**

Proposuit Deus in dispensatione plenitudinis temporum, instaurare omnia in Christo quae in caelis et quae in terra sunt.

679 AD NONAM **Eph 4,13-14**

Occurramus omnes in unitatem fidei et agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi.

680 AD 2 VESPERAS **2 Petr 1,3-4**

Christus omnia nobis divinae virtutis suae ad vitam et pietatem donavit, per cognitionem eius qui vocavit nos propria gloria et virtute, per quem maxima et pretiosa nobis promissa donavit: ut per haec efficiamini divinae consortes naturae, fugientes eius, quae in mundo est, concupiscentiae corruptionem.

Feria 2

681 AD LAUDES **Is 9,6**

Parvulus natus est nobis, et Filius datus est nobis; et factus est principatus super humerum eius, et vocabitur nomen eius: admirabilis consiliarius, Deus fortis, pater futuri saeculi, princeps pacis.

682 AD TERTIAM **Dt 4,7**

Non est alia natio tam grandis, quae habeat deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris.

683 AD SEXTAM **Is 12,5-6**

Cantate Domino, quoniam magnifice fecit; annuntiate hoc in universa terra; exsulta et lauda, habitatio Sion, quia magnus in medio tui Sanctus Israel.

684 AD NONAM **Tob 14,8**

Relinquent gentes idola sua, et venient in Ierusalem et inhabitabunt in ea; et gaudebunt in ea omnes reges terrae, adorantes regem Israel.

685 AD VESPERAS **2 Cor 8,9**

Scitis gratiam Domini nostri Iesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia vos divites essetis.

Feria 3

686 AD LAUDES **Is 4,2-3**

In die illa erit germen Domini in magnificentia et gloria, et fructus terrae sublimis et exsultatio his qui salvati fuerint de Israel. Et erit: omnis qui relictus fuerit in Sion et residuus in Ierusalem sanctus vocabitur; omnis qui scriptus est in vita in Ierusalem.

687 AD TERTIAM **Is 45,13**

Suscitavi eum ad iustitiam, et omnes vias eius dirigam; ipse aedificabit civitatem meam et captivitatem meam dimittet, non in pretio neque in muneribus, dicit Dominus Deus exercituum.

688 AD SEXTAM **Is 48,20**

In voce exsultationis annuntiate; auditum facite hoc, et efferte illud usque ad extrema terrae. Dicite: Redemit Dominus servum suum Iacob.

689 Ad Nonam **Is 65,1**

Quaesierunt me qui ante non interrogabant; invenerunt qui non quaesierunt me. Dixi: Ecce ego, ecce ego ad gentem, quae non invocabat nomen meum.

690 Ad Vesperas **Eph 2,3-5**

Eramus natura filii irae, sicut et ceteri; Deus autem qui dives est in misericordia, propter nimiam caritatem suam qua dilexit nos, et cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo, cuius gratia estis salvati.

Feria 4

691 Ad Laudes **Is 49,8-9**

Dedi te in foedus populi, ut suscitares terram et possideres haereditates dissipatas; ut diceres his qui vincti sunt: Exite; et his qui in tenebris: Revelamini.

692 Ad Tertiam **1 Tim 1,15**

Fidelis sermo et omni acceptione dignus, quod Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere.

693 Ad Sextam **Ap 21,23-24**

Civitas non eget sole neque luna, ut luceant in ea; nam claritas Dei illuminavit eam, et lucerna eius est Agnus. Et ambulabunt gentes in lumine eius, et reges terrae afferent gloriam suam et honorem in illam.

694 Ad Nonam **1 Io 1,5**

Haec est annuntiatio quam audivimus ab eo et annuntiamus vobis: quoniam Deus lux est, et tenebrae in eo non sunt ullae.

695 Ad Vesperas **Col 1,13-15**

Eripuit nos Deus de potestate tenebrarum et transtulit in regnum Filii dilectionis suae, in quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum: qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturae.

Feria 5

696 AD LAUDES **Is 62,11-12**

Dicite filiae Sion: Ecce salvator tuus venit: ecce merces eius cum eo, et opus eius coram illo. Et vocabunt eos: Populus sanctus, redempti a Domino.

697 AD TERTIAM **Is 2,3-4**

De Sion exibit lex et Verbum Domini de Ierusalem et iudicabit gentes et arguet populos multos, et conflabunt gladios suos in vomeres et lanceas suas in falces; non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad proelium.

698 AD SEXTAM **Is 9,2**

Populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam: habitantibus in regione umbrae mortis lux orta est eis.

699 AD NONAM **Is 60,4-5**

Filii tui, Ierusalem, de longe venient et filiae tuae de latere surgent. Tunc videbis et afflues, mirabitur et dilatabitur cor tuum, quando conversa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi.

700 AD VESPERAS **1 Io 1,5b.7**

Deus lux est, et tenebrae in eo non sunt ullae. Si in luce ambulamus, sicut et ipse est in luce, societatem habemus ad invicem, et sanguis Iesu Christi Filii eius emundat nos ab omni peccato.

Feria 6

701 AD LAUDES **Is 45,22-24**

Convertimini ad me et salvi eritis, omnes fines terrae; quia ego Deus et non est alius. In memetipso iuravi: Egredietur de ore meo iustitiae verbum, et non revertetur, quia mihi curvabitur omne genu et iurabit omnis lingua.

702 AD TERTIAM **Ier 31,7-8**

Exsultate in laetitia Iacob et canite et dicite: Salva Domine populum tuum, reliquias Israel. Ecce ego adducam eos de terra aquilonis, et congregabo eos ab extremis terrae.

703 AD SEXTAM **Ier 31,11-12**

Redemit Dominus Iacob et liberavit eum de manu potentioris. Et venient et laudabunt in monte Sion et confluent ad bona Domini.

704 AD NONAM **Zach 8,7-8**

Ecce ego salvabo populum meum de terra orientis et de terra occasus solis. Et adducam eos et habitabunt in medio Ierusalem; et erunt mihi in populum et ego ero eis in Deum in veritate et in iustitia.

705 AD VESPERAS **Rom 8,3-4**

Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati damnavit peccatum in carne; ut iustificatio legis impleretur in nobis qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum Spiritum.

Sabbato

706 AD LAUDES **Is 2,2-3**

Erit in novissimis diebus praeparatus mons domus Domini in vertice montium et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes. Et ibunt populi multi et dicent: Venite et ascendamus ad montem Domini et ad domum Dei Iacob, et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis eius.

707 AD TERTIAM **Ez 20,41-42**

In odorem suavitatis suscipiam vos, cum eduxero vos de populis et congregavero vos de terris in quas dispersi estis; et sanctificabor in vobis in oculis nationum, et scietis quia ego Dominus.

708 AD SEXTAM **Ez 34,11-12**

Ecce ego ipse requiram oves meas, et visitabo eas. Sicut visitat pastor gregem suum in die quando fuerit in medio ovium suarum dissipatarum, sic visitabo oves meas et liberabo eas de omnibus locis in quibus dispersae fuerant.

709 AD NONAM **Mich 2,12**

Congregatione congregabo, Iacob, totum te, in unum conducam reliquias Israel, pariter ponam illum quasi gregem in ovili, quasi pecus in medio caularum.

710 AD I VESPERAS DOMINICAE **1 Io 5,20**

Scimus quoniam Filius Dei venit et dedit nobis sensum ut cognoscamus verum Deum et simus in vero Filio eius. Hic est verus Deus et vita aeterna.

2. IN FESTIS

In Nativitate Domini

711 AD I VESPERAS **Gal 4,4-5**

Ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus.

712 AD LAUDES **Hebr 1,1-2**

Multifariam multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis, novissimis diebus istis locutus est nobis in Filio, quem constituit heredem universorum, per quem fecit et saecula.

713 AD TERTIAM **Tit 2,11-12**

Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos ut abnegantes impietatem et saecularia desideria, sobrie et iuste et pie vivamus in hoc saeculo.

714 AD SEXTAM **1 Io 4,9**

In hoc apparuit caritas Dei in nobis, quoniam Filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum.

715 AD NONAM **Act 10,36**

Verbum misit Deus filiis Israel, annuntians pacem per Iesum Christum: hic est omnium Dominus.

716 AD 2 VESPERAS **1 Io 1,1-3**

Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus et manus nostrae contrectaverunt de verbo vitae, et vita manifestata est, et vidimus et testamur et annuntiamus vobis vitam aeternam quae erat apud Patrem et apparuit nobis, quod vidimus et audivimus, annuntiamus vobis, ut et vos societatem habeatis nobiscum, et societas nostra sit cum Patre et cum Filio eius Iesu Christo.

Die 1 ianuarii
In Octava Nativitatis
Sollemnitas Sanctae Dei Genetricis Mariae

717 Ad I Vesperas

Sicut in 2 Vesperis.

718 Ad Laudes **Mich 5,3-5**

Deus dabit Israel usque ad tempus in quo parturiens pariet; et reliquiae fratrum eius convertentur ad filios Israel. Et stabit Dominator et pascet in fortitudine Domini in sublimitate nominis Domini Dei sui. Et erit iste pax.

719 Ad Tertiam **Soph 3,14.15**

Lauda, filia Sion, iubila, Israel. Laetare et exsulta in omni corde, filia Ierusalem. Rex Israel Dominus in medio tui.

720 Ad Sextam **Zach 9,9**

Exsulta satis, filia Sion, iubila, filia Ierusalem. Ecce Rex tuus veniet tibi iustus et salvator.

721 Ad Nonam **Bar 5,3-4**

Deus ostendet splendorem suum in te, Ierusalem, omni qui sub caelo est. Nominabitur enim tibi nomen tuum a Deo in sempiternum: Pax iustitiae et honor pietatis.

722 Ad 2 Vesperas **Gal 4,4-5**

Ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus.

In Epiphania Domini

723 Ad I Vesperas **2 Tim 1,9-10**

Deus nos liberavit et vocavit vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum et gratiam quae data est nobis in Christo Iesu ante tempora saecularia. Manifestata est autem nunc per illuminationem Salvatoris nostri Iesu Christi, qui destruxit quidem mortem, illuminavit autem vitam et incorruptionem per Evangelium.

724 AD LAUDES **Is 52,7.9.10**

Quam pulchri super montes pedes annuntiantis et praedicantis pacem, annuntiantis bonum, praedicantis salutem, dicentis Sion: Regnabit Deus tuus. Vox speculatorum tuorum: levaverunt vocem, simul laudabunt, quia oculo ad oculum videbunt cum converterit Dominus Sion. Gaudete et laudate simul, deserta Ierusalem, quia consolatus est Dominus populum suum, redemit Ierusalem. Paravit Dominus brachium sanctum suum in oculis omnium gentium, et videbunt omnes fines terrae salutare Dei nostri.

725 AD TERTIAM **Apoc 15,4**

Quis non timebit te, Domine, et magnificabit nomen tuum? Quia solus pius es; quoniam omnes gentes venient et adorabunt in conspectu tuo.

726 AD SEXTAM **Is 65,1**

Quaesierunt me qui ante non interrogabant, invenerunt qui non quaesierunt me. Dixi: Ecce ego, ecce ego ad gentem quae non invocabat nomen meum.

727 AD NONAM **Zach 2,11**

Applicabuntur gentes multae ad Dominum in die illa, et erunt mihi in populum; et habitabo in medio tui, et scies quia Dominus exercituum misit me ad te.

728 AD 2 VESPERAS **Tit 3,4-5**

Apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei non ex operibus iustitiae quae fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit.

In festo Baptismatis Domini

729 AD 1 VESPERAS

Sicut in 2 Vesperis.

730 AD LAUDES **Is 61,1-2a**

Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me: ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde et praedicarem captivis indulgentiam et clausis apertionem; ut praedicarem annum placabilem Domino.

731 Ad Tertiam **Is 11,1-2**

Egredietur virga de radice Iesse, et flos de radice eius ascendet, et requiescet super eum spiritus Domini: spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiae et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini.

732 Ad Sextam **Is 42,1**

Ecce servus meus, suscipiam eum, electus meus, complacuit sibi in illo anima mea, dedi spiritum meum super eum, iudicium gentibus proferet.

733 Ad Nonam **Is 49,6**

Dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terrae.

734 Ad 2 Vesperas **Act 10,37-38**

Vos scitis quod factum est verbum per universam Iudaeam: incipiens enim a Galilaea post baptismum quod praedicavit Ioannes, Iesum a Nazareth: quomodo unxit eum Deus Spiritu sancto et virtute; qui pertransiit benefaciendo et sanando omnes oppressos a diabolo, quoniam Deus erat cum illo.

Die 26 dec. S. Stephani, protomartyris

735 Ad Laudes **Act 6,2b-5a**

Non est aequum nos derelinquere verbum Dei et ministrare mensis. Considerate ergo, fratres, viros ex vobis boni testimonii septem, plenos Spiritu sancto et sapientia, quos constituamus super hoc opus. Nos vero orationi et ministerio verbi instantes erimus. Et placuit sermo coram omni multitudine.

736 Ad Tertiam **Rom 8,35**

Quis nos separabit a caritate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? sicut scriptum est: « Quia propter te mortificamur tota die, aestimati sumus sicut oves occisionis? ». Sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos.

737 AD SEXTAM **1 Petr 4,13-14**

Communicantes Christi passionibus gaudete, ut et in revelatione gloriae eius gaudeatis exsultantes. Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis: quoniam quod est honoris gloriae et virtutis Dei et qui est eius Spiritus super vos requiescit.

738 AD NONAM **Ap 3,21**

Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut et ego vici et sedi cum Patre meo in throno eius.

739 AD VESPERAS **Act 6,5b-6**

Elegerunt Stephanum, virum plenum fide et Spiritu Sancto et Philippum et Prochorum et Nicanorem et Timonem et Parmenam et Nicolaum advenam Antiochenum. Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum et orantes imposuerunt eis manus.

Die 27 dec. S. Ioannis, Apostoli et Evang.

740 AD LAUDES **Act 4,19-20**

Petrus et Ioannes respondentes dixerunt: Si iustum est in conspectu Dei, vos potius audire quam Deum, iudicate. Non enim possumus quae vidimus et audivimus non loqui.

741 AD VESPERAS **1 Io 2,12-14**

Scribo vobis, filioli, quoniam remittuntur vobis peccata propter nomen eius. Scribo vobis, patres, quoniam cognovistis eum qui ab initio est. Scribo vobis, adolescentes, quoniam vicistis malignum. Scribo vobis, infantes, quoniam cognovistis patrem. Scribo vobis, iuvenes, quoniam fortes estis et verbum Dei manet in vobis et vicistis malignum.

Cetera de Comm. Apostolorum.

Die 28 dec. Ss. Innocentium, martyrum

742 AD LAUDES **Ier 31,15**

Vox in excelso audita est lamentationis, luctus et fletus: Rachel plorantis filios suos et nolentis consolari quia non sunt.

743 AD TERTIAM **Lam 1,16**

Ego plorans et oculus meus deducens aquas; facti sunt filii mei perditi quoniam invaluit inimicus.

744 AD SEXTAM **Lam 2,11**

Defecerunt prae lacrimis oculi mei, conturbata sunt viscera mea, cum deficeret parvulus et lactens in plateis oppidi.

745 AD NONAM **Ier 31,16-17**

Quiescat vox tua a ploratu et oculi tui a lacrimis quia est merces operi tuo et est spes novissimis tuis, ait Dominus.

746 AD VESPERAS **Ap 14,4-5**

Hi empti sunt ex hominibus primitiae Deo et Agno et in ore eorum non est inventum mendacium; sine macula enim sunt ante thronum Dei.

Dominica infra octavam Nativitatis S. Familiae Iesu, Mariae, Ioseph

Lectiones breves sumuntur e cyclo dominicae huius temporis (nn. 710 et 641-645).

III. TEMPORE QUADRAGESIMAE

1. SERIES I (hebd. 1, 2 et 3)

Dominica

747 AD LAUDES **Neh 8,9a.10**

Dies sanctificatus est Domino Deo nostro, nolite lugere et nolite flere. Quia sanctus dies Domini est et nolite contristari, gaudium etenim Domini est fortitudo nostra.

748 AD TERTIAM **1 Th 4,1.7**

Fratres, rogamus vos et obsecramus in Domino Iesu, ut quemadmodum accepistis quomodo oporteat vos ambulare et placere Deo, sic et ambuletis ut abundetis magis. Non enim vocavit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem.

749 AD SEXTAM **Is 30,15.18**

Haec dicit Dominus Deus, Sanctus Israel: Si revertamini et quiescatis, salvi eritis; in silentio et in spe erit fortitudo vestra. Propterea exspectat Dominus ut misereatur vestri, et ideo exaltabitur parcens vobis, quia Deus iudicii Dominus: beati omnes qui exspectant eum.

750 AD NONAM **Dt 4,29-31**

Cum quaesieris Dominum Deum tuum, invenies eum; si tamen toto corde quaesieris, et tota tribulatione animae tuae. Postquam te invenerint omnia quae praedicta sunt, novissimo tempore reverteris ad Dominum Deum tuum, et audies vocem eius; quia Deus misericors Dominus Deus tuus est: non dimittet te nec omnino delebit, neque obliviscetur pacti in quo iuravit patribus tuis.

751 AD 2 VESPERAS **1 Cor 9,24-25**

Ii qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium. Sic currite ut comprehendatis. Omnis autem qui in agone contendit ab omnibus se abstinet; et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.

Feria 2

752 AD LAUDES **Ex 19,4-6a**

Vos ipsi vidistis quomodo portaverim vos super alas aquilarum, et assumpserim mihi. Si ergo audieritis vocem meam et custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis; mea est enim omnis terra. Et vos eritis mihi in regnum sacerdotale et gens sancta.

753 AD TERTIAM **Sap 11,24-25**

Misereris omnium, Domine, quia omnia potes; et dissimulas peccata hominum propter paenitentiam. Diligis enim omnia quae sunt, et nihil odisti eorum quae fecisti.

754 AD SEXTAM **Ez 18,23**

Numquid voluntatis meae est mors impii, dicit Dominus Deus, et non convertatur a viis suis et vivat?

755 AD NONAM **Is 58,7**

Frange esurienti panem tuum, et egenos vagosque induc in domum tuam; cum videris nudum operi eum, et carnem tuam ne despexeris.

[Brev. Rom.]

756 AD VESPERAS **Rom 12,1-2**

Fratres: Obsecro vos, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum. Et nolite conformari huic saeculo, sed reformamini in novitate sensus vestri, ut probetis quae sit voluntas Dei bona et beneplacens et perfecta.

Feria 3

757 AD LAUDES **Ioël 2,12-13**

Convertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio et in fletu et in planctu; et scindite corda vestra et non vestimenta vestra, et convertimini ad Dominum Deum vestrum, quia benignus et misericors est, patiens et multae misericordiae, et praestabilis super malitia.

[Brev. Rom.]

758 AD TERTIAM **Ioël 2,17**

Inter vestibulum et altare plorabunt sacerdotes ministri Domini, et dicent: Parce, Domine; parce populo tuo, et ne des hereditatem tuam in opprobrium, ut dominentur eis nationes.

[Brev. Rom.]

759 AD SEXTAM **Ier 3,25b**

Domino Deo nostro peccavimus nos et patres nostri ab adolescentia nostra usque ad diem hanc, et nos audivimus vocem Domini Dei nostri.

760 AD NONAM **Is 58,1-2**

Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam; et annuntia populo meo scelera eorum, et domui Iacob peccata eorum. Me etenim de die in diem quaerunt, et scire vias meas volunt, quasi gens quae iustitiam fecerit, et iudicium Dei sui non dereliquerit.

[Cf. Brev. Rom.]

761 AD VESPERAS **Iac 2,14.17-18**

Fratres, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat, numquid poterit fides salvare eum? Fides, si non habeat opera, mortua est in semetipsa. Ostende mihi fidem tuam sine operibus, et ego ostendam tibi ex operibus fidem meam.

Feria 4

762 AD LAUDES **Dt 7,6.8-9**

Te elegit Dominus Deus tuus ut sis ei populus peculiaris de cunctis populis qui sunt super terram, quia dilexit vos Dominus, et custodivit iuramentum quod iuravit patribus vestris, eduxitque vos in manu forti et redemit de domo servitutis, de manu Pharaonis regis Aegypti. Et scies quia Dominus Deus tuus ipse est Deus fortis et fidelis, custodiens pactum et misericordiam diligentibus se, et his qui custodiunt praecepta eius, in mille generationes.

763 AD TERTIAM **Ez 18,30-32**

Convertimini, et agite paenitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, et non erit vobis in ruinam iniquitas. Proiicite a vobis omnes praevaricationes vestras, et facite vobis cor novum et spiritum novum; et quare moriemini, domus Israel? Quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus; revertimini et vivite.

764 AD SEXTAM **Zach 1,3b-4**

Convertimini ad me, ait Dominus exercituum; et convertar ad vos. Ne sitis sicut patres vestri, ad quos clamabant prophetae priores: Convertimini de viis vestris malis et de cogitationibus vestris pessimis.

765 AD NONAM **Dan 4,24b**

Peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum: forsitan ignoscet Deus delictis tuis.

766 AD VESPERAS **Phil 2,12b-15a**

Cum metu et tremore vestram salutem operamini: Deus est enim qui operatur in vobis et velle et perficere pro bona volunatte. Omnia autem facite sine murmurationibus et haesitationibus, ut sitis sine querela et simplices filii Dei.

Feria 5

767 AD LAUDES **1 Reg 8,51-53a**

Populus tuus et hereditas tua sumus. Nos eduxisti de terra Aegypti, de medio fornacis ferreae; sint oculi tui aperti ad deprecationem servi tui, et populi tui Israel, et exaudias nos in universis pro quibus invocaverimus te. Tu enim separasti nos tibi in hereditatem de universis populis terrae.

768 AD TERTIAM **Is 55,6-7**

Quaerite Dominum dum inveniri potest; invocate eum dum prope est. Derelinquat impius viam suam, et vir iniquus cogitationes suas; et revertatur ad Dominum et miserebitur eius, et ad Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum.

[Brev. Rom.]

769 AD SEXTAM **Dt 30,2-3a**

Cum reversus fueris ad Dominum Deum tuum, et obedieris eius imperiis, sicut ego hodie praecipio tibi, cum filiis tuis in toto corde et in tota anima tua, reducet Dominus Deus tuus captivitatem tuam ac miserebitur tui.

770 AD NONAM **Hebr 10,35-36**

Nolite amittere confidentiam vestram, quae magnam habet remunerationem; patientia enim vobis necessaria est, ut voluntatem Dei facientes reportetis promissionem.

771 AD VESPERAS **Iac 4,7-8.10**

Subditi estote Deo, resistite diabolo, et fugiet a vobis: appropinquate Deo, et appropinquabit vobis. Emundate manus, peccatores, et purificate corda, duplices animo. Humiliamini in conspectu Domini et exaltabit vos.

Feria 6

772 AD LAUDES **Is 53,11b-12**

In scientia sua iustificabit ipse iustus servus meus multos, et iniquitates eorum ipse portabit. Ideo dispertiam ei plurimos, et fortium dividet spolia, pro eo quod tradidit in mortem animam suam, et cum sceleratis reputatus est; et ipse peccata multorum tulit, et pro transgressoribus rogavit.

773 AD TERTIAM **Is 55,3**

Inclinate aurem vestram, et venite ad me; audite, et vivet anima vestra, et feriam vobiscum pactum sempiternum, misericordias David fideles.

774 AD SEXTAM **Ier 3,12.14a**

Revertimini, ait Dominus, et non avertam faciem meam a vobis; quia sanctus ego sum, et non irascar in perpetuum. Convertimini, filii revertentes, dicit Dominus.

775 AD NONAM **Iac 1,27**

Religio munda et immaculata apud Deum et Patrem haec est: visitare pupillos et viduas in tribulatione eorum, et immaculatum se custodire ab hoc saeculo.

776 AD VESPERAS **Iac 5,16.19-20**

Confitemini alterutrum peccata vestra, et orate pro invicem, ut salvemini: multum enim valet deprecatio iusti assidua. Fratres mei, si quis ex vobis erraverit a veritate, et converterit quis eum, scire debet quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viae suae salvabit animam eius a morte, et operiet multitudinem peccatorum.

Sabbato

777 AD LAUDES **Is 1,16-18**

Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis; quiescite agere perverse, discite benefacere; quaerite iudicium, subvenite oppresso, iudicate pupillo, defendite viduam. Et venite et arguite me, dicit Dominus. Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur; et si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt.

778 AD TERTIAM **Ap 3,19-20**

Ego, quos amo, arguo et castigo. Aemulare ergo et paenitentiam age. Ecce sto ad ostium et pulso; si quis audierit vocem meam et aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, et cenabo cum illo, et ipse mecum.

779 AD SEXTAM **Is 44,21-22**

Memento quoniam servus meus es tu; formavi te, servus meus es tu, Israel, ne obliviscaris mei. Delevi ut nubem iniquitates tuas, et quasi nebulam peccata tua; revertere ad me, quoniam redemi te.

780 AD NONAM **Gal 6,7-8**

Deus non irridetur. Quae enim seminaverit homo, haec et metet. Quoniam qui seminat in carne sua, de carne et metet corruptionem; qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam aeternam.

781 AD I VESPERAS DOMINICAE **2 Cor 6,1-4**

Exhortamur vos ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Ait enim: Tempore accepto exaudivi te, et in die salutis adiuvi te: ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. Nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum; sed in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros.

2. SERIES II (hebd. 4, 5 et 6)

Dominica

782 AD LAUDES **Zach 9,9**

Exsulta satis, filia Sion; iubila, filia Ierusalem: ecce rex tuus veniet tibi iustus et salvator; ipse pauper et ascendens super asinam et super pullum filium asinae.

783 AD TERTIAM **2 Cor 4**,10-12

Semper mortificationem Iesu in corpore nostro circumferimus, ut et vita Iesu manifestetur in corporibus nostris. Semper enim nos, qui vivimus, in mortem tradimur propter Iesum, ut et vita Iesu manifestetur in carne nostra mortali. Ergo mors in nobis operatur, vita autem in vobis.

784 AD SEXTAM **1 Petr 4**,13-14

Communicantes Christi passionibus gaudete, ut et in revelatione gloriae eius gaudeatis exsultantes. Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis, quoniam quod est honoris, gloriae et virtutis Dei et qui est eius Spiritus super vos requiescit.

785 AD NONAM **1 Petr 5**,10-11

Deus omnis gratiae, qui vocavit nos in aeternam suam gloriam in Christo Iesu modicum passos ipse perficiet, confirmabit solidabitque. Ipsi gloria et imperium in saecula saeculorum. Amen.

786 AD 2 VESPERAS **Act 13**,26-30a

Viri fratres, vobis verbum salutis huius missum est. Qui habitabant Ierusalem et principes eius, Iesum ignorantes et voces prophetarum quae per omne sabbatum leguntur, iudicantes impleverunt. Et nullam causam mortis invenientes in eo, petierunt a Pilato ut interficerent eum. Cumque consummassent omnia quae de eo scripta erant, deponentes eum de ligno posuerunt eum in monumento. Deus vero suscitavit eum a mortuis tertia die.

Feria 2

787 AD LAUDES **Ier 11**,19-20

Ego quasi agnus mansuetus qui portatur ad victimam; et non cognovi quia cogitaverunt super me consilia, dicentes: Mittamus lignum in panem eius, et eradamus eum de terra viventium, et nomen eius non memoretur amplius. Tu autem, Domine Sabaoth, qui iudicas iuste et probas renes et corda, videam ultionem tuam ex eis: tibi enim revelavi causam meam, Domine Deus meus.

[Cf. Brev. Rom.]

788 AD TERTIAM **Ier 17**,13-14

Exspectatio Israel, Domine, omnes qui te dereliquerunt confundentur, recedentes a te in terra scribentur, quoniam dereliquerunt venam aquarum viventium Dominum.

[Cf. Brev. Rom.]

789 AD SEXTAM **Ier 18,20**

Recordare quod steterim in conspectu tuo, ut loquerer pro eis bonum, et averterem indignationem tuam ab eis.

[Brev. Rom.]

790 AD NONAM **Ier 31,2-4a**

Haec dicit Dominus: Invenit gratiam in deserto populus qui remanserat a gladio; vadet ad requiem suam Israel. Longe Dominus apparuit mihi. Et in caritate perpetua dilexi te; ideo attraxi te, miserans. Rursumque aedificabo te, et aedificaberis, virgo Israel.

791 AD VESPERAS **Rom 5,8-9**

Commendat caritatem suam Deus in nobis; quoniam, cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus Christus pro nobis mortuus est. Multo igitur magis nunc, iustificati in sanguine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum.

Feria 3

792 AD LAUDES **Zach 12,10-11a**

Effundam super domum David et super habitatores Ierusalem spiritum gratiae et precum, et aspicient ad me quem confixerunt, et plangent eum planctu quasi super unigenitum, et dolebunt super eum ut doleri solet in morte primogeniti. In die illa magnus erit planctus in Ierusalem.

793 AD TERTIAM **1 Cor 1,18-19**

Verbum crucis pereuntibus quidem stultitia est; iis autem qui salvi fiunt, Dei virtus est. Scriptum est enim: Perdam sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo.

794 AD SEXTAM **1 Cor 1,22-24**

Iudaei signa petunt, et Graeci sapientiam quaerunt; nos autem praedicamus Christum crucifixum, Iudaeis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam; ipsis autem vocatis, Iudaeis atque Graecis, Christum Dei virtutem et Dei sapientiam.

795 AD NONAM **1 Cor 1,25.27a**

Quod stultum est Dei sapientius est hominibus, et quod infirmum est Dei fortius est hominibus. Quae stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes.

796 AD VESPERAS **1 Cor 1,27b-30**

Infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia; et ignobilia mundi et contemptibilia elegit Deus, et ea quae non sunt, ut ea quae sunt destrueret, ut non glorietur omnis caro in conspectu eius. Ex ipso autem vos estis in Christo Iesu, qui factus est nobis sapientia a Deo et iustitia et sanctificatio et redemptio.

Feria 4

797 AD LAUDES **Is 50,5-7**

Dominus Deus aperuit mihi aurem; ego autem non contradico, retrorsum non abii. Corpus meum dedi percutientibus et genas meas vellentibus; faciem meam non averti ab increpantibus et conspuentibus in me. Dominus Deus auxiliator meus; ideo non sum confusus, ideo posui faciem meam ut petram durissimam, et scio quoniam non confundar.

[Cf. Brev. Rom.]

798 AD TERTIAM **1 Tim 2,4-6**

Deus Salvator noster omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire. Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus: qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus, testimonium temporibus suis.

799 AD SEXTAM **Rom 15,3**

Christus non sibi placuit; sed sicut scriptum est: Improperia improperantium tibi ceciderunt super me.

800 AD NONAM **Hebr 9,28**

Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata: secundo sine peccato apparebit exspectantibus se, in salutem.

801 AD VESPERAS **Eph 4,32-5,2**

Estote invicem benigni, misericordes, donantes invicem sicut et Deus in Christo donavit vobis. Estote ergo imitatores Dei, sicut filii carissimi; et ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis.

Feria 5

802 AD LAUDES **Hebr 2,9-10**

Videmus Iesum propter passionem mortis gloria et honore coronatum, ut gratia Dei pro omnibus gustaret mortem. Decebat enim eum propter quem omnia et per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummare.

803 AD TERTIAM **Hebr 4,14-15**

Habentes pontificem magnum qui penetravit caelos, Iesum Filium Dei, teneamus confessionem: non enim habemus pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato.

804 AD SEXTAM **Hebr 7,26-27**

Talis decebat ut nobis esset pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, et excelsior caelis factus; qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum sacerdotes, prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi: hoc enim fecit semel seipsum offerendo Iesus Christus Dominus noster.

805 AD NONAM **Hebr 9,11-12**

Christus assistens pontifex futurorum bonorum per amplius et perfectius tabernaculum non manufactum, id est non huius creationis, neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in sancta, aeterna redemptione inventa.

806 AD VESPERAS **Hebr 13,12-15**

Iesus ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est: exeamus igitur ad eum extra castra, improperium eius portantes. Non enim habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus. Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo, id est fructum labiorum confitentium nomini eius.

Feria 6

807 AD LAUDES **Is 52,13-15**

Ecce intelliget servus meus; exaltabitur et elevabitur, et sublimis erit valde. Sicut obstupuerunt super te multi, sic ingloriosus erit inter viros aspectus eius, et forma eius inter filios hominum. Iste asperget gentes multas; super ipsum continebunt reges os suum, quia quibus non est narratum de eo viderunt, et qui non audierunt contemplati sunt.

808 AD TERTIAM **Is 53,2-3**

Ascendet sicut virgultum coram eo, et sicut radix de terra sitienti. Non est species ei, neque decor; et vidimus eum, et non erat aspectus, et desideravimus eum; despectum et novissimum virorum, virum dolorum et scientem infirmitatem, et quasi absconditus vultus eius et despectus: unde nec reputavimus eum.

809 AD SEXTAM **Is 53,4-5**

Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit; et nos putavimus eum quasi leprosum, et percussum a Deo, et humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra; disciplina pacis nostrae super eum, et livore eius sanati sumus.

810 AD NONAM **Is 53,6-7**

Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit; et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum. Oblatus est quia ipse voluit, et non aperuit os suum; sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum.

811 AD VESPERAS **1 Petr 2,21-24**

Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius; qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore eius, qui cum malediceretur non maledicebat, cum pateretur non comminabatur, tradebat autem iudicanti se iniuste; qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui iustitiae vivamus: cuius livore sanati estis.

Sabbato

812 AD LAUDES **Is 65,1b-3a**

Dixi: Ecce ego, ecce ego, ad gentem quae non invocabat nomen meum. Expandi manus meas tota die ad populum incredulum, qui graditur in via non bona post cogitationes suas; populus qui ad iracundiam provocat me ante faciem meam semper.

813 AD TERTIAM **1 Io 1,8-9**

Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est. Si confiteamur peccata nostra, fidelis est et iustus, ut remittat nobis peccata nostra et emundet nos ab omni iniquitate.

814 Ad Sextam **1 Io 2,1b-2**

Advocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum iustum; et ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.

815 Ad Nonam **1 Io 2,8b-10**

Tenebrae transierunt et verum lumen iam lucet. Qui dicit se in luce esse et fratrem suum odit, in tenebris est usque adhuc. Qui diligit fratrem suum, in lumine manet, et scandalum in eo non est.

816 Ad I Vesperas Dominicae **1 Petr 1,18-21**

Scitote quod non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paternae traditionis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi et incontaminati, praecogniti quidem ante mundi constitutionem, manifestati autem novissimis temporibus propter vos qui per ipsum fideles estis in Deo, qui suscitavit eum a mortuis et dedit ei gloriam, ut fides vestra et spes esset in Deo.

IV. TEMPORE PASCHALI

1. PER HEBDOMADAM

Dominica

817 AD LAUDES **Act 10,40-43**

Deus suscitavit Iesum tertia die et dedit eum manifestum fieri non omni populo, sed testibus praeordinatis a Deo, nobis, qui manducavimus et bibimus cum illo, postquam resurrexit a mortuis. Et praecepit nobis Deus praedicare populo et testificari quia ipse est qui constitutus est a Deo iudex vivorum et mortuorum. Huic omnes prophetae testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes qui credunt in eum.

818 AD TERTIAM **1 Cor 15,3b-5**

Christus mortuus est pro peccatis nostris secundum Scripturas: et sepultus est et resurrexit tertia die secundum Scripturas, et visus est Cephae et post hoc undecim.

819 AD SEXTAM **Rom 6,4-5**

Consepulti sumus cum Christo per baptismum in mortem, ut, quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus.

820 AD NONAM **Eph 2,4-6**

Deus qui dives est in misericordia propter nimiam caritatem suam qua dilexit nos et cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo, cuius gratia estis salvati et conresuscitavit et consedere fecit in caelestibus in Christo Iesu.

821 AD 2 VESPERAS **Hebr 10,12-14**

Christus unam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet in dextera Dei, de cetero exspectans donec ponantur inimici eius scabellum pedum eius. Una enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos.

Feria 2

822 Ad Laudes **Rom 10,8b-10**

Prope est verbum in ore tuo et in corde tuo: Hoc est verbum fidei quod praedicamus, quia si confitearis in ore tuo Dominum Iesum et in corde tuo credideris quod Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris. Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.

823 Ad Tertiam **Ap 1,17-18**

Vidi Filium hominis qui dixit mihi: Ego sum primus et novissimus et vivus, et fui mortuus et ecce sum vivens in saecula saeculorum, et habeo claves mortis et inferni.

824 Ad Sextam **Col 2,9.10.12**

In Christo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter; et estis in illo repleti; consepulti ei in baptismo, in quo et resurrexistis per fidem operationis Dei, qui suscitavit illum a mortuis.

825 Ad Nonam **2 Tim 2,8.11**

Memor esto Dominum Iesum Christum resurrexisse a mortuis ex semine David secundum evangelium meum. Fidelis sermo: nam si commortui sumus et convivemus.

826 Ad Vesperas **Hebr 8,1-3**

Talem habemus pontificem qui consedit in dextera sedis magnitudinis in caelis, sanctorum minister et tabernaculi veri, quod fixit Deus et non homo. Omnis enim pontifex ad offerendum munera et hostias constituitur.

Feria 3

827 Ad Laudes **Act 13,30-33**

Deus suscitavit Iesum a mortuis tertia die: qui visus est per dies multos his qui simul ascenderant cum eo de Galilaea in Ierusalem, qui usque nunc sunt testes eius ad plebem. Vobis annuntiamus eam quae ad patres nostros repromissio facta est, quoniam hanc Deus adimplevit filiis nostris, resuscitans Iesum, sicut scriptum est: Filius meus es tu, ego hodie genui te.

828 AD TERTIAM **Act 4,11-12**

Hic est lapis qui reprobatus est ab aedificantibus, qui factus est in caput anguli; et non est in alio aliquo salus; nec enim aliud nomen est sub caelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.

829 AD SEXTAM **1 Petr 3,21-22**

Vos nunc salvat baptisma: non carnis depositio sordium, sed conscientiae bonae interrogatio in Deum per resurrectionem Iesu Christi qui est in dextera Dei.

830 AD NONAM **Col 3,1-2**

Si consurrexistis cum Christo, quae sursum sunt quaerite, ubi Christus est in dextera Dei sedens: quae sursum sunt sapite, non quae super terram.

831 AD VESPERAS **1 Petr 2,4-5**

Ad Dominum accedentes lapidem vivum, ab hominibus quidem reprobatum, a Deo autem electum et honorificatum, et ipsi tamquam lapides vivi superaedificamini domus spiritualis, sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias, acceptabiles Deo per Iesum Cristum.

Feria 4

832 AD LAUDES **Rom 6,8-11**

Si mortui sumus cum Christo, credimus quia simul etiam vivemus cum Christo, scientes quod Christus resurgens ex mortuis iam non moritur; mors illi ultra non dominabitur. Quod enim mortuus est peccato mortuus est semel; quod autem vivit, vivit Deo. Ita et vos existimate vos mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo, in Christo Iesu Domino nostro.

833 AD TERTIAM **Rom 4,24-25**

Credimus in eum qui suscitavit Iesum Christum Dominum nostrum a mortuis, qui traditus est propter delicta nostra et resurrexit propter iustificationem nostram.

834 AD SEXTAM **1 Io 5,5-6**

Quis est qui vincit mundum, nisi qui credit quoniam Iesus est filius Dei? Hic est qui venit per aquam et sanguinem, Iesus Christus: non in aqua solum, sed in aqua et sanguine.

835 AD NONAM **Eph 4,23-24**

Renovamini spiritu mentis vestrae et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate veritatis.

836 AD VESPERAS **Hebr 7,24-27**

Iesus, eo quod maneat in aeternum, sempiternum habet sacerdotium. Unde et salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum, semper vivens ad interpellandum pro nobis. Talis enim decebat, ut nobis esset pontifex: sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus et excelsior caelis factus, qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum sacerdotes, prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi: hoc enim fecit semel, seipsum offerendo.

Feria 5

837 AD LAUDES **Rom 8,10-11**

Si Christus in vobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus vero vivit propter iustificationem. Quod si Spiritus eius qui suscitavit Iesum a mortuis habitat in vobis, qui suscitavit Iesum Christum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra propter inhabitantem spiritum eius in vobis.

838 AD TERTIAM **1 Cor 12,13**

In uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Iudaei sive Gentiles sive servi sive liberi, et omnes in uno Spiritu potati sumus.

839 AD SEXTAM **Tit 3,5-7**

Salvos nos fecit Deus per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti quem effudit in nos abunde per Iesum Christum salvatorem nostrum; ut iustificati gratia ipsius heredes simus secundum spem vitae aeternae.

840 AD NONAM **Col 1**,12-14

Gratias agimus Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine, qui eripuit nos de potestate tenebrarum et transtulit in regnum Filii dilectionis suae, in quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum.

841 AD VESPERAS **1 Petr 3**,18.22

Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustis, ut nos offerret Deo, mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu. Qui est in dextera Dei, deglutiens mortem, ut vitae aeternae heredes efficeremur: profectus in caelum, subiectis sibi angelis et potestatibus et virtutibus.

Feria 6

842 AD LAUDES **Act 5**,30-32

Deus patrum nostrorum suscitavit Iesum, quem vos interemistis suspendentes in ligno. Hunc principem et salvatorem Deus exaltavit dextera sua ad dandam paenitentiam Israeli et remissionem peccatorum. Et nos testes horum verborum et Spiritus Sanctus, quem dedit Deus omnibus obedientibus sibi.

843 AD TERTIAM **Act 2**,32.36

Iesum resuscitavit Deus, cuius omnes nos testes sumus. Certissime sciat ergo domus Israel quia et Dominum et Christum fecit Deus hunc Iesum quem vos crucifixistis.

844 AD SEXTAM **Gal 3**,27-28

Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis. Non est Iudaeus neque Graecus; non est servus neque liber, non est masculus neque femina; omnes enim vos unum estis in Christo Iesu.

845 AD NONAM **1 Cor 5**,8-10

Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi. Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus. Itaque epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiae et nequitiae sed in azymis sinceritatis et veritatis.

846 Ad Vesperas **Hebr 5,7-8**

Christus cum esset Filius Dei, didicit ex illis quae passus est obedientiam, et consummatus factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis aeternae, appellatus a Deo pontifex iuxta ordinem Melchisedech.

Sabbato

847 Ad Laudes **Rom 14,7-9**

Nemo nostrum sibi vivit et nemo sibi moritur. Sive enim vivimus, Domino vivimus; sive morimur, Domino morimur; sive ergo vivimus sive morimur, Domini sumus. In hoc enim Christus mortuus est et resurrexit ut et mortuorum et vivorum dominetur.

848 Ad Tertiam **Rom 5,10-11**

Si, cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii eius, multo magis, reconciliati, salvi erimus in vita ipsius. Non solum autem, sed et gloriamur in Deo per Dominum nostrum Iesum Christum, per quem nunc reconciliationem accepimus.

849 Ad Sextam **1 Cor 15,20-22**

Christus resurrexit a mortuis primitiae dormientium: quoniam quidem per hominem mors et per hominem resurrectio mortuorum. Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur.

850 Ad Nonam **2 Cor 5,14-15**

Caritas Christi urget nos, aestimantes hoc, quoniam si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt. Et pro omnibus mortuus est Christus ut et qui vivunt iam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est et resurrexit.

851 Ad I Vesperas Dominicae **1 Petr 2,9-10**

Vos genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, ut virtutes annuntietis eius, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum; qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei; qui non consecuti misericordiam, nunc autem misericordiam consecuti.

2. IN FESTIS

Fer 5 post Dom 6 Paschae
In Ascensione Domini

851a AD I VESPERAS **Eph 2**,4-6

Deus qui dives est in misericordia propter nimiam caritatem suam qua dilexit nos et cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo, cuius gratia estis salvati et conresuscitavit et consedere fecit in caelestibus in Christo Iesu.

851b AD LAUDES **Hebr 10**,12-14

Christus unam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet in dextera Dei, de cetero exspectans donec ponantur inimici eius scabellum pedum eius. Una enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos.

851c AD TERTIAM **Ap 1**,17-18

Vidi Filium hominis qui dixit mihi: Ego sum primus et novissimus, et vivus, et fui mortuus et ecce sum vivens in saecula saeculorum, et habeo claves mortis et inferni.

851d AD SEXTAM **Hebr 8**,1-3

Talem habemus pontificem qui consedit in dextera sedis magnitudinis in caelis, sanctorum minister et tabernaculi veri, quod fixit Deus et non homo. Omnis enim pontifex ad offerendum munera et hostias constituitur.

851e AD NONAM **Col 3**,1-2

Si consurrexistis cum Christo, quae sursum sunt quaerite, ubi Christus est in dextera Dei sedens: quae sursum sunt sapite, non quae super terram.

851f AD 2 VESPERAS **1 Petr 3**,18.22

Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustis, ut nos offerret Deo, mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu. Qui est in dextera Dei, deglutiens mortem, ut vitae aeternae heredes efficeremur: profectus in caelum, subiectis sibi angelis, et potestatibus et virtutibus.

Dominica Pentecostes

851g AD I VESPERAS **Rom 8,10-11**

Sit Christus in vobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus vero vivit propter iustificationem. Quod si Spiritus eius qui suscitavit Iesum a mortuis habitat in vobis, qui suscitavit Iesum Christum a mortuis vivificabit et mortalia corpora vestra propter inhabitantem spiritum eius in vobis.

851h AD LAUDES **Act 5,30-32**

Deus patrum nostrorum suscitavit Iesum, quem vos interemistis suspendentes in ligno. Hunc principem et salvatorem Deus exaltavit dextera sua ad dandam paenitentiam Israeli et remissionem peccatorum. Et nos testes horum verborum et Spiritus Sanctus, quem dedit Deus omnibus obedientibus sibi.

851i AD TERTIAM **1 Cor 12,13**

In uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Iudaei sive Gentiles sive servi sive liberi, et omnes in uno Spiritu potati sumus.

851l AD SEXTAM **Tit 3,5-7**

Salvos nos fecit Deus per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti quem effudit in nos abunde per Iesum Christum salvatorem nostrum; ut iustificati gratia ipsius heredes simus secundum spem vitae aeternae.

851m AD NONAM **2 Cor 1, 21-22**

Confirmat nos vobiscum in Christo qui unxit nos, Deus, qui et signavit nos et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.

851n AD 2 VESPERAS **Eph 4,3-6**

Solliciti estote servare unitatem Spiritus in vinculo pacis. Unum corpus et unus Spiritus sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae. Unus Dominus, una fides, unum baptisma. Unus Deus et Pater omnium, qui est super omnes, et per omnia, et in omnibus nobis.

V. TEMPORE «PER ANNUM»

1. HEBDOMADA I

Dominica

852 AD LAUDES **Ap 7,12**

Benedictio et claritas et sapientia et gratiarum actio, honor, virtus et fortitudo Deo nostro in saecula saeculorum. Amen.

[Brev. Rom.]

853 AD TERTIAM **1 Io 4,16**

Nos cognovimus et credidimus caritati quam habet Deus in nobis. Deus caritas est, et qui manet in caritate in Deo manet et Deus in eo.

[Cf. Brev. Rom.]

854 AD SEXTAM **Gal 6,2**

Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi.

[Brev. Rom.]

855 AD NONAM **1 Cor 6,20**

Empti estis pretio magno, glorificate et portate Deum in corpore vestro.

[Brev. Rom.]

856 AD 2 VESPERAS **2 Cor 1,3-4**

Benedictus Deus et Pater Domini nostri Iesu Christi, Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, ut possimus et ipsi consolari eos qui in omni pressura sunt, per exhortationem qua exhortamur et ipsi a Deo.

[Cf. Brev. Rom.]

Feria 2

857 AD LAUDES **2 Th 3**,10b-13

Si quis non vult operari, nec manducet. Audivimus enim inter vos quosdam ambulare inquiete, nihil operantes et curiose agentes. Iis autem qui eiusmodi sunt denuntiamus et obsecramus in Domino Iesu Christo, ut cum silentio operantes, suum panem manducent. Vos autem, fratres, nolite deficere benefacientes.

858 AD TERTIAM **Ier 17**,14

Sana me, Domine, et sanabor; salvum me fac et salvus ero, quoniam laus mea tu es.

[Brev. Rom.]

859 AD SEXTAM **Rom 13**,8

Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis; qui enim diligit proximum, legem implevit.

[Brev. Rom.]

860 AD NONAM **1 Petr 1**,17-19

In timore incolatus vestri tempore conversamini, scientes quod non corruptibilibus auro vel argento redempti estis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi.

[Brev. Rom.]

861 AD VESPERAS **Col 1**,9b-11

Impleamini agnitione voluntatis Dei, in omni sapientia et intellectu spirituali, ut ambuletis digne Deo per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes et crescentes in scientia Dei, in omni virtute confortati secundum potentiam claritatis eius, in omni patientia et longanimitate cum gaudio.

Feria 3

862 AD LAUDES **Rom 13**,11-13a

Hora est iam nos de somno surgere; nunc enim propior est nostra salus quam cum credidimus. Nox praecessit, dies autem appropinquavit. Abiiciamus ergo opera tenebrarum, et induamur arma lucis. Sicut in die honeste ambulemus.

[Cf. Brev. Rom.]

863 AD TERTIAM **Ier 17**,7-8

Benedictus vir qui confidit in Domino, et erit Dominus fiducia eius; et erit quasi lignum quod transplantatur super aquas, quod ad humorem mittit radices suas, et non timebit cum venerit aestus: et erit folium eius viride, et in tempore siccitatis non erit sollicitum, nec aliquando desinet facere fructum.

864 AD SEXTAM **Prov 3**,13-15

Beatus homo qui invenit sapientiam, et qui affluit prudentia: melior est acquisitio eius negotiatione argenti et auri primi, et purissimi fructus eius. Pretiosior est cunctis opibus, et omnia quae desiderantur huic non valent comparari.

865 AD NONAM **Iob 5**,17-18

Beatus homo qui corripitur a Deo, increpationem ergo Domini ne reprobes. Quia ipse vulnerat et medetur, percutit et manus eius sanabunt.

866 AD VESPERAS **1 Io 3**,1a.2

Videte qualem caritatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus. Carissimi, nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus; scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.

Feria 4

867 AD LAUDES **Tob 4**,16-17.19-20

Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias. Panem tuum cum esurientibus et egenis comede, et de vestimentis tuis nudos tege. Consilium semper a sapiente perquire. Omni tempore benedic Deum, et pete ab eo ut vias tuas dirigat, et omnia tua in ipso permaneant.

868 AD TERTIAM **1 Petr 1**,13-14

Succincti lumbos mentis vestrae, sobrii, perfecte sperate in eam quae offertur vobis gratiam in revelationem Iesu Christi; quasi filii obedientiae, non configurati prioribus ignorantiae vestrae desideriis.

869 AD SEXTAM **1 Petr 1**,15-16

Secundum eum qui vocavit vos sanctum, et ipsi in omni conversatione sancti sitis, quoniam scriptum est: Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum.

870 AD NONAM **Is 57,15**

Haec dicit Excelsus et Sublimis, habitans aeternitatem, et sanctum nomen eius, in excelso et in sancto habitans, et cum contrito et humili spiritu, ut vivificet spiritum humilium, et vivificet cor contritorum.

871 AD VESPERAS **Iac 1,22-25**

Estote factores verbi, et non auditores tantum, fallentes vosmetipsos. Quia si quis est auditor verbi et non factor, hic comparabitur viro consideranti vultum nativitatis suae in speculo; consideravit enim se et abiit, et statim oblitus est qualis fuerit. Qui autem perspexerit in legem perfectam libertatis et permanserit in ea, non auditor obliviosus factus, sed factor operis, hic beatus in facto suo erit.

Feria 5

872 AD LAUDES **Is 66,1-2**

Haec dicit Dominus: Caelum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum. Quae est ista domus quam aedificabitis mihi, et quis est iste locus quietis meae? Omnia haec manus mea fecit et facta sunt universa ista, dicit Dominus. Ad quem autem respiciam, nisi ad pauperculum et contritum spiritu, et trementem sermones meos.

873 AD TERTIAM **Am 4,13**

Ecce formans montes et creans ventum, et annuntians homini eloquium suum, faciens matutinam nebulam et gradiens super excelsa terrae; Dominus Deus exercituum nomen eius.

874 AD SEXTAM **Am 5,8**

Faciens Arcturum et Orionem, et convertens in mane tenebras, et diem in noctem mutans, qui vocat aquas maris et effundit eas super faciem terrae, Dominus nomen eius.

875 AD NONAM **Am 9,6**

Qui aedificat in caelo ascensionem suam, et fasciculum suum super terram fundavit, qui vocat aquas maris et effundit eas super faciem terrae, Dominus nomen eius.

876 AD VESPERAS **2 Cor 10,17-18**

Qui gloriatur, in Domino glorietur; non enim qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat.

Feria 6

877 AD LAUDES **2 Cor 13,4**

Etsi crucifixus est Christus ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei; nam et nos infirmi sumus in illo, sed vivemus cum eo ex virtute Dei.

878 AD TERTIAM **Phil 2,2b-4**

Idem sapite, eandem caritatem habentes, unanimes, idipsum sentientes; nihil per contentionem neque per inanem gloriam, sed in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes, non quae sua sunt singuli considerantes, sed ea quae aliorum.

879 AD SEXTAM **Eph 4,32**

Estote invicem benigni, misericordes, donantes invicem sicut et Deus in Christo donavit vobis.

880 AD NONAM **Col 3,12-13**

Induite vos sicut electi Dei, sancti et dilecti, viscera misericordiae, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam; supportantes invicem et donantes vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam: sicut et Dominus donavit vobis, ita et vos.

881 AD VESPERAS **Rom 15,1-3**

Debemus nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere, et non nobis placere. Unusquisque vestrum proximo suo placeat in bonum ad aedificationem. Etenim Christus non sibi placuit; sed sicut scriptum est: Improperium improperantium tibi ceciderunt super me.

Sabbato

882 AD LAUDES **2 Cor 13,11**

Fratres, gaudete, perfecti estote, exhortamini, idem sapite, pacem habete; et Deus pacis et dilectionis erit vobiscum.

883 AD TERTIAM **1 Reg 8,60-61**

Sciant omnes populi terrae quia Dominus ipse est Deus, et non est ultra absque eo. Sit quoque cor nostrum perfectum cum Domino Deo nostro, ut ambulemus in decretis eius et custodiamus mandata eius.

884 Ad Sextam **Ier 17,9-10**

Pravum est cor omnium et inscrutabile; quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor et probans renes, qui do unicuique iuxta viam suam, et iuxta fructum adinventionum suarum.

885 Ad Nonam **Sap 7,16**

In manu Dei et nos et sermones nostri, et omnis sapientia et operum scientia et disciplina.

886 Ad I Vesperas Dominicae **Col 1,3-6a**

Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro et Domino Iesu Christo. Gratias agimus Deo et Patri Domini nostri Iesu Christi, semper pro vobis orantes audientes fidem vestram in Christo Iesu et dilectionem quam habetis in sanctos omnes, propter spem quae reposita est vobis in caelis, quam audistis in verbo veritatis evangelii, quod pervenit ad vos sicut et in universo mundo est et fructificat et crescit, sicut in vobis.

2. HEBDOMADA II

Dominica

887 Ad Laudes **Ez 36,25-27**

Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, et ab universis idolis vestris mundabo vos. Et dabo vobis cor novum, et spiritum novum ponam in medio vestri, et auferam cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis carneum; et spiritum meum ponam in medio vestri, et faciam ut in praeceptis meis ambuletis, et iudicia mea custodiatis et operemini.

888 Ad Tertiam **Rom 5,1-2.5**

Iustificati ex fide, pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Iesum Christum, per quem et habemus accessum per fidem in gratiam istam, in qua stamus, et gloriamur in spe gloriae filiorum Dei. Spes autem non confundit, quia caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis.

889 Ad Sextam **Rom 8,26**

Spiritus adiuvat infirmitatem nostram; nam quid oremus sicut oportet, nescimus; sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.

890 AD NONAM **2 Cor 1,21-22**

Confirmat nos vobiscum in Christo qui unxit nos, Deus, qui et signavit nos, et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.

891 AD 2 VESPERAS **Eph 1,3-4**

Benedictus Deus et Pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in caelestibus in Christo; sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu eius in caritate.

Feria 2

892 AD LAUDES **Ier 15,16**

Inventi sunt sermones tui et comedi eos, et factum est mihi verbum tuum in gaudium et in laetitiam cordis mei, quoniam invocatum est nomen tuum super me, Domine Deus exercituum.

893 AD TERTIAM **Ier 31,33**

Hoc erit pactum quod feriam cum domo Israel post dies illos, dicit Dominus: Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam; et ero eis in Deum et ipsi erunt mihi in populum.

894 AD SEXTAM **Ier 32,40**

Feriam eis pactum sempiternum, et non desinam eis benefacere, et timorem meum dabo in corde eorum ut non recedent a me.

895 AD NONAM **Ez 34,31**

Vos greges mei, greges pascuae meae, homines estis, et ego Dominus Deus vester, dicit Dominus Deus.

896 AD VESPERAS **1 Th 2,13**

Gratias agimus Deo sine intermissione, quoniam cum accepistis a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud non ut verbum hominum, sed, sicut est vere, verbum Dei, qui operatur in vobis qui credidistis.

Feria 3

897 Ad Laudes **1 Th 5,4-5**

Fratres: Non estis in tenebris, ut vos dies Domini tamquam fur comprehendat; omnes enim vos filii lucis estis et filii diei, non sumus noctis neque tenebrarum.

899 Ad Tertiam **1 Cor 12,4-6**

Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus; et divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus; et divisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus.

900 Ad Sextam **1 Cor 12,12-13**

Sicut corpus unum est et membra habet multa, omnia autem membra corporis, cum sint multa, unum tamen corpus sunt: ita et Christus. Etenim in uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Iudaei, sive Gentiles, sive servi, sive liberi; et omnes in uno Spiritu potati sumus.

901 Ad Nonam **1 Cor 12,24b-26**

Deus temperavit corpus ut non sit schisma in corpore, sed idipsum pro invicem sollicita sint membra. Et si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra; sive gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra.

902 Ad Vesperas **Rom 3,23-25a**

Omnes peccaverunt, et egent gloria Dei: iustificati sunt gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quae est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem iustitiae suae.

Feria 4

903 Ad Laudes **Rom 8,35-37**

Quis nos separabit a caritate Christi? Tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? Sed in his omnibus superamus, propter eum qui dilexit nos.

904 Ad Tertiam **Dt 1,16-17a**

Iudicibus praecepi dicens: Audite fratres vestros et quod iustum est iudicate, sive civis sit ille, sive peregrinus. Nulla erit distantia personarum: ita parvum audietis ut magnum, nec accipietis cuiusquam personam, quia Dei iudicium est.

905 AD SEXTAM **Is 55,8-9**

Non cogitationes meae cogitationes vestrae, neque viae vestrae viae meae, dicit Dominus. Quia sicut exaltantur caeli a terra, sic exaltatae sunt viae meae a viis vestris, et cogitationes meae a cogitationibus vestris.

906 AD NONAM **1 Sam 16,7b**

Non iuxta intuitum hominis ego iudico: homo enim videt ea quae parent, Dominus autem intuetur cor.

907 AD VESPERAS **1 Petr 5,5b-7**

Omnes invicem humilitatem insinuate, quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Humiliamini igitur sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis, omnem sollicitudinem vestram proiicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis.

Feria 5

908 AD LAUDES **Rom 14,17-19**

Non est regnum Dei esca et potus, sed iustitia et pax et gaudium in Spiritu sancto. Qui enim in hoc servit Christo, placet Deo et probatus est hominibus. Itaque quae pacis sunt sectemur, et quae aedificationis sunt in invicem custodiamus.

909 AD TERTIAM **Gal 5,13**

Vos in libertatem vocati estis, fratres, tantum ne libertatem in occasionem detis carnis; sed per caritatem Spiritus servite invicem.

910 AD SEXTAM **Gal 5,14**

Omnis lex in uno sermone impletur: Diliges proximum tuum sicut te ipsum.

911 AD NONAM **Gal 5,16.22.23a.25**

Spiritu ambulate et desideria carnis non perficietis. Fructus autem Spiritus est caritas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. Si Spiritu vivimus, Spiritu et ambulemus.

912 AD VESPERAS **1 Petr 1,22-23**

Animas vestras castificantes in obedientia caritatis, in fraternitatis amore, simplici ex corde invicem diligite attentius, renati non ex semine corruptibili sed incorruptibili, per verbum Dei vivi et permanentis in aeternum.

Feria 6

913 AD LAUDES **Eph 1,7-10**

In Christo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum secundum divitias gratiae eius, quae superabundavit in nobis in omni sapientia et prudentia; ut notum faceret nobis sacramentum voluntatis suae secundum beneplacitum eius quod proposuerat in eo, in dispensatione plenitudinis temporum, instaurare omnia in Christo.

914 AD TERTIAM **Dt 1,31b**

Portavit te Dominus Deus tuus, ut solet homo gestare parvulum filium suum, in omni via per quam ambulasti.

915 AD SEXTAM **Bar 4,28-29**

Sicut fuit sensus vester ut erraretis a Deo, decies tantum iterum convertentes requiretis eum. Qui enim induxit vobis mala, ipse rursum adducet vobis sempiternam iucunditatem cum salute vestra.

916 AD NONAM **Sap 1,13-15**

Deus mortem non fecit, nec laetatur in perditione vivorum; creavit enim ut essent omnia, et sanabiles fecit nationes orbis terrarum, et non est in illis medicamentum exterminii, nec inferorum regnum in terra: iustitia enim perpetua est et immortalis.

917 AD VESPERAS **1 Cor 2,7-10a**

Loquimur Dei sapientiam in mysterio, quae abscondita est, quam praedestinavit Deus in saecula in gloriam nostram; quam nemo principum huius saeculi cognovit; si enim cognovissent, numquam Dominum gloriae crucifixissent. Sed sicut scriptum est: Quod oculus non vidit, nec auris audivit nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus iis qui diligunt illum; nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum.

Sabbato

918 AD LAUDES **Rom 12,**18.20a.21

Cum omnibus hominibus pacem habete. Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, potum da illi. Noli vinci a malo, sed vince in bono malum.

919 AD TERTIAM **Dt 8,**5b-6

Sicut erudit filium suum homo, sic Dominus Deus tuus erudivit te, ut custodias mandata Domini Dei tui, et ambules in viis eius, et timeas eum.

920 AD SEXTAM **1 Reg 2,**2b-3

Confortare et esto vir, et observa custodias Domini Dei tui, ut ambules in viis eius, et custodias ceremonias eius et praecepta eius et iudicia et testimonia, sicut scriptum est in lege Moysi, ut intelligas universa quae facis, et quocumque te verteris.

921 AD NONAM **Ier 6,**16

State super vias et videte, et interrogate de semitis antiquis quae sit via bona, et ambulate in ea, et invenietis refrigerium animabus vestris.

922 AD I VESPERAS DOMINICAE **Hebr 13,**20-21

Deus pacis, qui eduxit de mortuis pastorem magnum ovium in sanguine testamenti aeterni, Dominum nostrum Iesum Christum, aptet vos in omni bono, ut faciatis eius voluntatem, faciens in vobis quod placeat coram se per Iesum Christum, cui est gloria in saecula saeculorum. Amen.

3. HEBDOMADA III

Dominica

923 AD LAUDES **Ez 37,**12b-14

Haec dicit Dominus Deus: Ecce ego aperiam tumulos vestros, et educam vos de sepulcris vestris, populus meus, et inducam vos in terram Israel; et scietis quia ego Dominus, cum aperuero sepulcra vestra et eduxero vos de tumulis vestris, popule meus, et dedero spiritum meum in vobis et vixeritis, et requiescere vos faciam super humum vestram, et scietis quia ego Dominus: locutus sum, et feci, ait Dominus Deus.

924 AD TERTIAM **Col 1**,12-13

Gratias agamus Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine, qui eripuit nos de potestate tenebrarum et transtulit in regnum Filii dilectionis suae, in quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum.

925 AD SEXTAM **Eph 1**,5-6

Deus praedestinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum, secundum propositum voluntatis suae, in laudem gloriae gratiae suae, in qua gratificavit nos in dilecto Filio suo.

926 AD NONAM **2 Tim 1**,9

Deus nos liberavit et vocavit vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum et gratiam quae data est nobis in Christo Iesu ante tempora saecularia.

927 AD 2 VESPERAS **1 Petr 1**,3-5

Benedictus Deus et Pater Domini nostri Iesu Christi, qui secundum misericordiam suam magnam regeneravit nos in spem vivam per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis, in hereditatem incorruptibilem et incontaminatam et immarcescibilem, conservatam in caelis in vobis, qui in virtute Dei custodimini per fidem in salutem paratam revelari in tempore novissimo.

Feria 2

928 AD LAUDES **Iac 2**,12-13

Sic loquimini et sic facite, sicut per legem libertatis incipientes iudicari. Iudicium enim sine misericordia illi qui non fecit misericordiam; superexaltat autem misericordia iudicium.

929 AD TERTIAM **Rom 6**,22

Nunc liberati a peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam aeternam.

930 AD SEXTAM **Rom 7**,5-6

Cum essemus in carne, passiones peccatorum, quae per legem erant, operabantur in membris nostris, ut fructificarent morti. Nunc autem, soluti sumus a lege mortis in qua detinebamur, ita ut serviamus in novitate spiritus, et non in vetustate litterae.

931 AD NONAM **Col 1**,21-22

Vos, cum essetis aliquando alienati et inimici sensu in operibus malis, nunc autem reconciliavit Christus in corpore carnis suae per mortem, exhibere vos sanctos et immaculatos et irreprehensibiles coram ipso.

932 AD VESPERAS **Iac 4**,11-12

Fratres: Nolite detrahere alterutrum: qui detrahit fratri aut qui iudicat fratrem suum detrahit legi et iudicat legem; si autem iudicas legem, non es factor legis, sed iudex. Unus est legislator et iudex, qui potest perdere et liberare. Tu autem quis es qui iudicas proximum?

Feria 3

933 AD LAUDES **1 Io 4**,14-15

Nos vidimus, et testificamur quoniam Pater misit Filium suum salvatorem mundi. Quisquis confessus fuerit quoniam Iesus est Filius Dei, Deus in eo manet et ipse in Deo.

934 AD TERTIAM **Ier 22**,3

Facite iudicium et iustitiam, et liberate vi oppressum de manu calumniatoris; et advenam et pupillum et viduam nolite contristare, neque opprimatis inique; et sanguinem innocentem ne effundatis.

935 AD SEXTAM **Dt 15**,7-8

Si unus de fratribus tuis, qui morantur intra portas civitatis tuae, ad paupertatem venerit, non obdurabis cor tuum nec contrahes manum; sed aperies eam pauperi, et dabis mutuum quo eum indigere perspexeris.

936 AD NONAM **Prov 22**,22-23

Non facias violentiam pauperi, quia pauper est; neque conteras egenum in porta; quia iudicabit Dominus causam eius, et configet eos qui confixerunt animam eius.

937 AD VESPERAS **Iac 2**,5

Audite, fratres mei dilectissimi: nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo divites in fide et heredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se?

Feria 4

938 AD LAUDES **Iob 1,21; 2,10b**

Nudus egressus sum de utero matris meae, et nudus revertar illuc. Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum. Si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non suscipiamus?

939 AD TERTIAM **1 Cor 13,4-7**

Caritas patiens est, benigna est; caritas non aemulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quaerit quae sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati; omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.

940 AD SEXTAM **1 Cor 13,8-9.13**

Caritas numquam excidit: sive prophetiae, evacuabuntur; sive linguae, cessabunt; sive scientia, destruetur. Ex parte enim cognoscimus, et ex parte prophetamus. Nunc autem manent fides, spes, caritas, tria haec; maior autem horum est caritas.

941 AD NONAM **Col 3,14-15**

Caritatem habete, quod est vinculum perfectionis; et pax Christi exsultet in cordibus vestris, in qua et vocati estis in uno corpore; et grati estote.

942 AD VESPERAS **Eph 3,20-21**

Ei qui potens est omnia facere superabundanter quam petimus aut intelligimus, secundum virtutem quae operatur in nobis, ipsi gloria in Ecclesia et in Christo Iesu, in omnes generationes saeculi saeculorum. Amen.

Feria 5

943 AD LAUDES **1 Petr 4,9-10**

Estote hospitales sine murmuratione; unusquisque sicut accepit gratiam in alterutrum illam administrantes sicut boni dispensatores multiformis gratiae Dei.

944 AD TERTIAM **2 Sam 7,23-24**

Quae est autem, ut populus tuus Israel, gens in terra, propter quam ivit Deus ut redimeret eam sibi in populum, et poneret sibi nomen, faceretque eis magnalia et horribilia super terram a facie populi tui, quam redemisti tibi ex Aegypto, gentem et deum eius? Firmasti enim tibi populum tuum Israel in populum sempiternum: et tu, Domine Deus, factus est eis in Deum.

945 AD SEXTAM **Dt 4,7**

Non est alia natio tam grandis, quae habeat deos appropinquantes sibi sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris.

946 AD NONAM **Est 10,9**

Gens Israel est, quae clamavit ad Dominum; et salvum fecit Dominus populum suum, liberavitque eos ab omnibus malis, et fecit signa magna atque portenta inter gentes.

947 AD VESPERAS **1 Petr 3,8-9**

Omnes unanimes, compatientes, fraternitatis amatores, misericordes, modesti, humiles; non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, sed e contrario benedicentes, quia in hoc vocati estis, ut benedictionem hereditate possideatis.

Feria 6

948 AD LAUDES **2 Cor 12,9b-10**

Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi. Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo: cum enim infirmor, tunc potens sum.

949 AD TERTIAM **Rom 1,16b-17**

Virtus Dei est evangelium in salutem omni credenti. Iustitia enim Dei in eo revelatur ex fide in fidem, sicut scriptum est: Iustus autem ex fide vivit.

950 AD SEXTAM **Rom 3,21-22a**

Nunc sine lege iustitia Dei manifestata est, testificata a lege et prophetis: iustitia autem Dei per fidem Iesu Christi in omnes et super omnes qui credunt in eum.

951 AD NONAM **Eph 2**,8-9

Gratia estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis: Dei enim donum est; non ex operibus, ut ne quis glorietur.

952 AD VESPERAS **Iac 1**,2-4

Omne gaudium existimate, fratres mei, cum in tentationes varias incideritis, scientes quod probatio fidei vestrae patientiam operatur; patientia autem opus perfectum habet, ut sitis perfecti et integri, in nullo deficientes.

Sabbato

953 AD LAUDES **Phil 2**,14-15

Omnia facite sine murmurationibus et haesitationibus, ut sitis sine querela et simplices filii Dei, sine reprehensione in medio nationis pravae et perversae, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo.

954 AD TERTIAM **1 Sam 15**,22

Numquid vult Dominus holocausta et victimas, et non potius ut obediatur voci Domini? Melior est enim obedientia quam victimae, et auscultare magis quam offerre adipem arietum.

955 AD SEXTAM **Os 6**,6

Misericordiam volui et non sacrificium: et scientiam Dei plus quam holocausta.

956 AD NONAM **Mich 6**,8

Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, et quid Dominus requirat a te: utique facere iudicium et diligere misericordiam, et sollicitum ambulare cum Deo tuo.

957 AD I VESPERAS DOMINICAE **2 Petr 1**,19-20

Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes, quasi lucernae lucenti in caliginoso loco, donec dies elucescat et lucifer oriatur in cordibus vestris. Hoc primum intelligentes quod omnis prophetia Scripturae propria interpretatione non fit; non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.

4. HEBDOMADA IV

Dominica

958 AD LAUDES **Rom 8**,18-21

Non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam quae revelabitur in nobis. Nam exspectatio creaturae revelationem filiorum Dei exspectat: vanitati enim creatura subiecta est, non volens, sed propter eum qui subiecit eam in spe. Quia et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei.

959 AD TERTIAM **Dt 6**,4-6

Audi Israel: Dominus Deus noster Dominus unus est. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et ex tota anima tua et ex tota fortitudine tua. Eruntque verba haec in corde tuo.

960 AD SEXTAM **Dt 10**,12

Quid Dominus Deus tuus petit a te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum et ambules in viis eius et diligas eum; ac servias Domino Deo tuo in toto corde tuo et in tota anima tua?

961 AD NONAM **Ct 8**,6b-7

Fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus aemulatio, lampades eius lampades ignis atque flammarum. Aquae multae non potuerunt exstinguere caritatem, nec flumina obruent illam.

962 AD 2 VESPERAS **Hebr 12**,22-24

Accessistis ad Sion montem et civitatem Dei viventis, Ierusalem caelestem et multorum millium angelorum frequentiam et ecclesiam primitivorum qui conscripti sunt in caelis et iudicem omnium Deum et spiritus iustorum perfectorum et testamenti novi mediatorem Iesum et sanguinis aspersionem melius loquentem quam Abel.

Feria 2

963 AD LAUDES **Idt 8**,21b-23

Mementote quia tentati sunt patres nostri, ut probarentur si vere colerent Deum suum. Mementote quomodo pater noster Abraham tentatus est; et, per multas tribulationes probatus, Dei amicus effectus est. Sic Isaac, sic Iacob, sic Moyses et omnes qui placuerunt Deo, per multas tribulationes transierunt fideles.

964 Ad Tertiam **Lev 20,26**

Eritis mihi sancti, quia sanctus sum ego Dominus, et separavi vos a ceteris populis ut essetis mei.

965 Ad Sextam **Ez 20,5**

Haec dicit Dominus Deus: In die qua elegi Israel, et levavi manum meam pro stirpe domus Iacob, et apparui eis in terra Aegypti, et levavi manum meam pro eis, dicens: Ego Dominus Deus vester.

966 Ad Nonam **Bar 4,21-22**

Filii, clamate ad Dominum, et eripiet vos de manu principum inimicorum. Ego enim speravi, et venit mihi gaudium a Sancto.

967 Ad Vesperas **1 Th 3,12-13**

Vos Dominus multiplicet, et abundare faciat caritatem vestram in invicem, et in omnes, quemadmodum et nos in vobis; ad confirmanda corda vestra sine querela in sanctitate ante Deum et Patrem nostrum in adventu Domini nostri Iesu Christi cum omnibus sanctis eius.

Feria 3

968 Ad Laudes **Is 55,1**

Omnes sitientes, venite ad aquas; et qui non habetis argentum, properate, emite, et comedite; venite, emite absque argento et absque ulla commutatione vinum et lac.

969 Ad Tertiam **Is 55,10-11**

Quomodo descendit imber et nix de caelo et illuc ultra non revertitur, sed inebriat terram et infundit eam et germinare eam facit et dat semen serenti et panem comedenti; sic erit verbum meum quod egredietur de ore meo: non revertetur ad me vacuum, sed faciet quaecumque volui, et prosperabitur in his ad quae misi illud.

970 Ad Sextam **Dt 30,11.14**

Mandatum hoc quod ego praecipio tibi hodie non supra te est, neque procul positum. Sed iuxta te est sermo valde, in ore tuo et in corde tuo, ut facias illum.

971 AD NONAM **Ier 23,29**

Numquid non verba mea sunt quasi ignis, dicit Dominus, et quasi malleus conterens petram?

972 AD VESPERAS **Col 3,16**

Verbum Christi habitet in vobis abundanter, in omni sapientia docentes et commonentes vosmetipsos psalmis, hymnis et canticis spiritualibus, in gratia cantantes in cordibus vestris Deo.

Feria 4

973 AD LAUDES **Dt 4,39-40a**

Scito hodie et cogitato in corde tuo quod Dominus ipse sit Deus in caelo sursum et in terra deorsum, et non sit alius. Custodi praecepta eius atque mandata, quae ego praecipio tibi.

974 AD TERTIAM **1 Cor 10,23b-24.31**

Omnia licent, sed non omnia aedificant. Nemo quod suum est quaerat, sed quod alterius. Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.

975 AD SEXTAM **Col 3,17**

Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Iesu Christi, gratias agentes Deo et Patri per ipsum.

976 AD NONAM **Col 3,23-24**

Quodcumque facitis, ex animo operamini sicut Domino et non hominibus; scientes quod a Domino accipietis retributionem hereditatis: Domino Christo servite.

977 AD VESPERAS **1 Petr 4,11**

Si quis loquitur quasi sermones Dei, si quis ministrat tamquam ex virtute quam administrat Deus, ut in omnibus honorificetur Deus per Iesum Christum, cui est gloria et imperium in saecula saeculorum. Amen.

Feria 5

978 Ad Laudes **Eph 2,10**

Dei sumus factura, creati in Christo Iesu in operibus bonis, quae praeparavit Deus ut in illis ambulemus.

979 Ad Tertiam **Iob 23,8-10a**

Si ad orientem iero, non apparet; si ad occidentem, non intelligam eum. Si ad sinistram, quid agam? non apprehendam eum; si me vertam ad dexteram, non videbo illum. Ipse vero scit viam meam.

980 Ad Sextam **Sap 1,1-2**

Diligite iustitiam, qui iudicatis terram, sentite de Domino in bonitate, et in simplicitate cordis quaerite illum, quoniam invenitur ab his qui non tentant illum, apparet autem eis qui fidem habent in illum.

981 Ad Nonam **Mich 7,7**

Ego ad Dominum aspiciam, exspectabo Deum Salvatorem meum; audiet me Deus meus.

982 Ad Vesperas **Col 1,23**

Permanete in fide fundati et stabiles, et immobiles a spe evangelii quod audistis, quod praedicatum est in universa creatura quae sub caelo est.

Feria 6

983 Ad Laudes **Gal 2,19b-20**

Christo confixus sum cruci. Vivo autem, iam non ego, vivit vero in me Christus. Quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo Filii Dei, qui dilexit me et tradidit semetipsum pro me.

984 Ad Tertiam **1 Io 3,14**

Nos scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.

985 Ad Sextam **1 Io 3,16**

In hoc cognovimus caritatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit, et nos debemus pro fratribus animas ponere.

986 AD NONAM **1 Io 4**,9-11

In hoc apparuit caritas Dei in nobis, quoniam Filium suum unigenitum misit Deus in mundum ut vivamus per eum. In hoc est caritas, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos, et misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris. Carissimi, si sic Deus dilexit nos, et nos debemus alterutrum diligere.

987 AD VESPERAS **Rom 8**,1-2

Nihil nunc damnationis est iis qui sunt in Christo Iesu, qui non secundum carnem ambulant. Lex enim spiritus vitae in Christo Iesu liberavit me a lege peccati et mortis.

Sabbato

988 AD LAUDES **Phil 4**,8-9a

Fratres, quaecumque sunt vera, quaecumque pudica, quaecumque iusta, quaecumque sancta, quaecumque amabilia, quaecumque bonae famae, si qua virtus, si qua laus disciplinae, haec cogitate. Et Deus pacis erit vobiscum.

989 AD TERTIAM **Is 44**,6-7a

Haec dicit Dominus, rex Israel et redemptor eius, Dominus exercituum: Ego primus et ego novissimus, et absque me non est Deus. Quis similis mei?

990 AD SEXTAM **Dan 6**,26b-27

Tremiscant et paveant Deum: ipse est enim Deus vivens et aeternus in saecula, et regnum eius non dissipabitur et potestas eius usque in aeternum; ipse liberator atque salvator, faciens signa et mirabilia in caelo et in terra.

991 AD NONAM **Ier 10**,10

Dominus Deus verus est, ipse Deus vivens et rex sempiternus; ab indignatione eius commovebitur terra, et non sustinebunt gentes comminationem eius.

992 AD I VESPERAS DOMINICAE **Rom 11**,33-36

O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei! Quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, et investigabiles viae eius! Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit? Aut quis prior dedit illi, et retribuetur ei? Quoniam ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia; ipsi gloria in saecula. Amen.

[Cf. Brev. Rom.]

VI. SOLLEMNITATES TEMPORE « PER ANNUM » OCCURRENTES

Dominica post Pentecosten: SS. Trinitatis

993 AD I VESPERAS **Rom 11**,33-36

O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei! Quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, et investigabiles viae eius! Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit? Aut quis prior dedit illi, et retribuetur ei? Quoniam ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia; ipsi gloria in saecula. Amen.

[Cf. Brev. Rom.]

994 AD LAUDES **1 Cor 12**,4-6

Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus. Et divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus. Et divisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus.

995 AD TERTIAM **2 Cor 1**,21-22

Confirmat nos vobiscum in Christo qui unxit nos Deus, qui et signavit nos et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.

996 AD SEXTAM **Gal 4**,6

Quoniam estis filii, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra clamantem: Abba, Pater.

997 AD NONAM **Ap 7**,12

Benedictio et claritas et sapientia et gratiarum actio, honor, virtus et fortitudo Deo nostro in saecula saeculorum. Amen.

[Brev. Rom.]

998 AD 2 VESPERAS **Eph 4**,3-6

Solliciti estote servare unitatem Spiritus in vinculo pacis. Unum corpus et unus Spiritus sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae. Unus Dominus, una fides, unum baptisma. Unus Deus et Pater omnium, qui est super omnes, et per omnia, et in omnibus nobis.

Fer 5 Hebd 2 post Pentecosten
Sollemnitas Ss.mae Eucharistiae

999 AD I VESPERAS **1 Cor 10,16-17**

Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? Et panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus.

1000 AD LAUDES **Mal 1,11**

Ab ortu solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum.

1001 AD TERTIAM **Sap 16,20**

Angelorum esca nutrivisti populum tuum et paratum panem de caelo praestitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, et omnis saporis suavitatem.

1002 AD SEXTAM **Prov 9,1-2**

Sapientia aedificavit sibi domum, excidit columnas septem, immolavit victimas suas, miscuit vinum et proposuit mensam suam.

1003 AD NONAM **Act 2,42**

Erant perseverantes in doctrina Apostolorum et communicatione fractionis panis et orationibus.

1004 AD 2 VESPERAS **1 Cor 11,23-25**

Ego accepi a Domino quod et tradidi vobis, quoniam Dominus Iesus in qua nocte tradebatur, accepit panem et gratias agens fregit et dixit: Accipite et manducate: hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem. Similiter et calicem postquam cenavit dicens: Hic calix novum testamentum est in meo sanguine: hoc facite, quotiescumque bibetis, in meam commemorationem.

Fer 6 Hebd 3 post Pentecosten
Sollemnitas Sacratissimi Cordis Iesu

1005 AD 1 VESPERAS **Eph 5,25b-27**

Christus dilexit Ecclesiam et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquae in verbo vitae, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed ut sit sancta et immaculata.

1006 AD LAUDES **Ier 31,33**

Hoc erit pactum quod feriam cum domo Israël: post dies illos, dicit Dominus: Dabo legem meam in visceribus eorum et in corde eorum scribam eam: et ero eis in Deum et ipsi erunt mihi in populum.

1007 AD TERTIAM **Ier 31,3-4a**

In caritate perpetua dilexi te, ideo attraxi te, miserans, rursumque aedificabo te.

1008 AD SEXTAM **Ier 32,40**

Feriam eis pactum sempiternum et non desinam eis benefacere, et timorem meum dabo in corde eorum, ut non recedant a me.

1009 AD NONAM **Rom 5,8-9**

Commendat caritatem suam Deus in nobis: quoniam, cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus Christus pro nobis mortuus est: multo magis nunc, iustificati in sanguine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum.

1010 AD 2 VESPERAS **Eph 2,4-7**

Deus, qui dives est in misericordia, propter nimiam caritatem suam, qua dilexit nos, et, cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo et conresuscitavit et consedere fecit in caelestibus in Christo Iesu, ut ostenderet in saeculis supervenientibus abundantes divitias gratiae suae, in bonitate super nos, in Christo Iesu.

Dominica ultima « per annum »
DNIC universorum Regis

1011 Ad 1 Vesperas **Eph 1,20-23**

Deus suscitavit Christum a mortuis et constituit ad dexteram suam, in caelestibus supra omnem principatum et potestatem et virtutem et dominationem, et omne nomen quod nominatur non solum in hoc saeculo, sed etiam in futuro. Et omnia subiecit pedibus eius, et ipsum dedit caput supra omnem ecclesiam, quae est corpus ipsius, et plenitudo eius qui omnia in omnibus adimpletur.

1011a Ad Laudes **Eph 4,15-16**

Veritatem facientes in caritate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus; ex quo totum corpus compactum et connexum per omnem iuncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscuiusque membri, augmentum corporis facit in aedificationem sui in caritate.

1011b Ad Tertiam **Col 1,12-13**

Gratias agimus Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine, qui eripuit nos de potestate tenebrarum et transtulit in regnum Filii dilectionis suae.

[Brev. Rom.]

1011c Ad Sextam **Col 1,16-17**

Omnia per ipsum et in ipso creata sunt, et ipse est ante omnes, et omnia in ipso constant. Et ipse est caput corporis Ecclesiae; qui est principium, primogenitus ex mortuis, ut sit in omnibus ipse primatum tenens.

[Brev. Rom.]

1011d Ad Nonam **Col 1,19-20**

In ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare et per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis eius, sive quae in terris, sive quae in caelis sunt, in Christo Iesu Domino nostro.

[Brev. Rom.]

1011e Ad 2 Vesperas **1 Cor 15,25-28**

Oportet Christum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus eius. Novissima autem inimica destruetur mors: omnia enim subiecit sub pedibus eius. Cum autem dicat: Omnia subiecta sunt ei, sine dubio praeter eum qui subiecit ei omnia. Cum autem subiecta fuerint illi omnia, tunc et ipse Filius subiectus erit ei qui subiecit sibi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus.

VII. SOLLEMNITATES ET FESTA B. MARIAE VIRG. ET SANCTORUM

Die 8 decembris

In Conceptione Immaculata beatae Mariae Virginis

1012 AD I VESPERAS **Rom 8,29.30**

Quos praescivit Deus et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui. Quos autem praedestinavit, hos et vocavit; et quos vocavit, hos et iustificavit.

1012a AD LAUDES **Is 43,1**

Et nunc haec dicit Dominus creans te, Iacob, et formans te, Israel: Noli timere quia redemi te, et vocavi te nomine tuo; meus es tu.

1013 AD TERTIAM **Eph 1,4**

Elegit nos Deus in Christo ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu eius in caritate.

1014 AD SEXTAM **Eph 1,11-12**

In Christo nos sorte vocati sumus, praedestinati secundum propositum eius qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suae, ut simus in laudem gloriae eius.

1015 AD NONAM **Eph 5,25-27**

Christus dilexit Ecclesiam et seipsum tradidit pro ea ut illam sanctificaret, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam aut aliquid huiusmodi, sed ut sit sancta et immaculata.

1016 AD 2 VESPERAS **Rom 5,20-21**

Ubi abundavit delictum, superabundavit gratia, ut sicut regnavit peccatum in mortem, ita et gratia regnet per iustitiam in vitam aeternam, per Iesum Christum Dominum nostrum.

Die 25 ianuarii

In Conversione Sancti Pauli

1017 AD LAUDES **Act 26,**16b-18

Ad hoc apparui tibi ut constituam te ministrum et testem eorum quae vidisti et eorum quibus apparebo tibi, eripiens te de populo et gentibus in quas nunc ego mitto te, aperire oculos eorum ut convertantur a tenebris ad lucem et de potestate Satanae ad Deum, ut accipiant remissionem peccatorum et sortem inter sanctos per fidem quae est in me.

1018 AD TERTIAM **1 Tim 1,**12-13

Gratias ago ei qui me confortavit, Christo Iesu Domino nostro, quia fidelem me existimavit ponens in ministerio, qui prius blasphemus fui et persecutor et contumeliosus; sed misericordiam Dei consecutus sum.

1019 AD SEXTAM **1 Tim 1,**14-15

Superabundavit gratia Domini nostri cum fide et dilectione quae est in Christo Iesu. Fidelis sermo et omni acceptione dignus: quod Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum.

1020 AD NONAM **1 Tim 1,**16

Misericordiam consecutus sum ut in me primo ostenderet Christus Iesus omnem patientiam ad informationem eorum qui credituri sunt illi in vitam aeternam.

1021 AD VESPERAS **1 Cor 15,**9-10

Ego sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei: gratia autem Dei sum id quod sum et gratia eius in me vacua non fuit, sed abundantius omnibus laboravi, non ego autem, sed gratia Dei mecum.

Die 2 februarii

In Praesentatione Domini

1022 AD I VESPERAS **Hebr 10,**5-7

Ingrediens mundum dixit Christus: Hostiam et oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi; holocautomata pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi: Ecce venio; in capite libri scriptum est de me ut faciam, Deus, voluntatem tuam.

1023 AD LAUDES **Mal 3,1-3**

Ecce ego mitto Angelum meum, et praeparabit viam ante faciem meam. Et statim veniet ad templum sanctum suum Dominator quem vos quaeritis et Angelus Testamenti quem vos vultis. Ecce venit, dicit Dominus exercituum; et quis poterit cogitare diem adventus eius? et quis stabit ad videndum eum? Ipse enim purgabit filios Levi, et erunt Domino offerentes sacrificia in iustitia.

1024 AD TERTIAM **Is 8,13-14**

Erit vobis Dominus in sanctificationem, in lapidem autem offensionis et in petram scandali duabus domibus Israël, in laqueum et in ruinam habitantibus Ierusalem.

1025 AD SEXTAM **Is 42,13**

Dominus sicut fortis egredietur, sicut vir proeliator suscitabit zelum; vociferabitur et clamabit; et super inimicos suos confortabitur.

1026 AD NONAM **Is 12,5-6**

Cantate Domino quoniam magnifice fecit; annuntiate hoc in universa terra; exsulta et lauda, habitatio Sion, quia magnus in medio tui Sanctus Israël.

1027 AD 2 VESPERAS **Hebr 4,15-16**

Non habemus pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato. Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiae, ut misericordiam consequamur et gratiam inveniamus in auxilio opportuno.

Die 22 februarii

Cathedrae S. Petri, Apostoli

1028 AD LAUDES **Act 15,7-9**

Deus elegit per os meum audire gentes verbum evangelii et credere: et qui novit corda, Deus testimonium perhibuit, dans illis Spiritum sanctum, sicut et nobis et nihil discrevit inter nos et illos, fide purificans corda eorum.

1029 AD TERTIAM **Is 22,22**

Dabo clavem domus David super humerum eius: et aperiet et non erit qui claudat; et claudet et non erit qui aperiat.

1030 AD SEXTAM **1 Petr 5,1**

Seniores, obsecro consenior et testis Christi passionum, qui et eius quae in futuro revelanda est gloriae communicator, pascite qui in vobis est gregem Dei.

1031 AD NONAM **2 Petr 1,16**

Non doctas fabulas secuti notam fecimus vobis Domini nostri Iesu Christi virtutem et praesentiam, sed speculatores facti illius magnitudinis.

1032 AD VESPERAS **1 Petr 1,3-5**

Benedictus Deus et Pater Domini nostri Iesu Christi qui secundum misericordiam suam magnam regeneravit nos in spem vivam per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis, in hereditatem incorruptibilem et incontaminatam et immarcessibilem, conservatam in caelis in vobis paratam revelari in tempore novissimo.

Die 19 martii

S. Ioseph, sponsi beatae Mariae Virginis

1033 AD I VESPERAS

Sicut in 2 Vesperis.

1034 AD LAUDES **Sap 10,10**

Profugum iustum deduxit Sapientia per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei, et dedit illi scientiam sanctorum; honestavit illum in laboribus, et complevit labores illius.

[Brev. Rom.]

1035 AD TERTIAM **Prov 2,7**

Custodiet Dominus rectorum salutem et proteget gradientes simpliciter, servans semitas iustitiae et vias sanctorum custodiens.

1036 AD SEXTAM **Prov 28,20; 27,18a**

Vir fidelis multum laudabitur. Et qui custos est Domini sui, glorificabitur.

[Brev. Rom.]

1037 AD NONAM **Eccli 45,1.4**

Dilectus Deo et hominibus, cuius memoria in benedictione est. In fide et lenitate ipsius sanctum fecit illum, et elegit eum ex omni carne.

[Brev. Rom.]

1038 AD 2 VESPERAS **Col 3,23-24**

Quodcumque facitis ex animo operamini sicut Domino et non hominibus, scientes quod a Domino accipietis retributionem hereditatis. Domino Christo servite.

Die 25 martii

In Annuntiatione Domini

1039 AD I VESPERAS

Sicut in 2 Vesperis.

1040 AD LAUDES **Phil 2,6-7**

Cum in forma Dei esset, Christus Iesus non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo; sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus et habitu inventus ut homo.

1041 AD TERTIAM **Eph 1,9-10**

Proposuit Deus in dispensatione plenitudinis temporum, instaurare omnia in Christo, quae in caelis et quae in terra sunt, in ipso.

1042 AD SEXTAM **1 Io 4,10**

In hoc est caritas, non quasi nos dilexerimus Deum; sed quoniam ipse prior dilexit nos et misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris.

1043 AD NONAM **1 Io 4,8-9**

Deus caritas est. In hoc apparuit caritas Dei in nobis, quoniam Filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum.

1044 AD 2 VESPERAS **1 Io 1,1-2**

Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus et manus nostrae contrectaverunt de verbo vitae; et vita manifestata est, et vidimus et testamur et annuntiamus vobis vitam aeternam quae erat apud Patrem et apparuit nobis.

Die 31 maii

In Visitatione beatae Mariae Virginis

1045 AD LAUDES **Ioel 2,27-28**

Scietis quia in medio Israel ego sum: et ego Dominus Deus vester et non est amplius; et non confundetur populus meus in aeternum. Et erit post haec: Effundam Spiritum meum super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri et filiae vestrae.

1046 AD TERTIAM **Idt 13,31**

Benedicta tu a Deo tuo in omni tabernaculo Iacob, quoniam in omni gente quae audierit nomen tuum magnificabitur super te Deus Israel.

1047 AD SEXTAM **Tob 12,6**

Benedicite Deum caeli et coram omnibus viventibus confitemini ei, quia fecit vobiscum misericordiam suam.

1048 AD NONAM **Sap 7,27-28**

Sapientia in se permanens omnia innovat et per nationes in animas sanctas se transfert, amicos Dei et prophetas constituit; neminem enim diligit Deus nisi eum qui cum sapientia inhabitat.

1049 AD VESPERAS **1 Petr 5,5-7**

Omnes invicem humilitatem insinuate quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Humiliamini igitur sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis, omnem sollicitudinem proicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis.

Die 24 iunii

In Nativitate Sancti Ioannis Baptistae

1050 AD I VESPERAS

Sicut in 2 Vesperis.

1051 AD LAUDES **Mal 4,5-6**

Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis; et convertet cor patrum ad filios et cor filiorum ad patres eorum; ne forte veniam et percutiam terram anathemate.

1052 AD TERTIAM **Is 49,1**

Audite, insulae, et attendite populi de longe: Dominus ab utero vocavit me, de ventris matris meae recordatus est nominis mei.

[Brev. Rom.]

1053 AD SEXTAM **Is 49,5-6**

Dicit Dominus formans me ex utero servum sibi: Dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terrae.

[Brev. Rom.]

1054 AD NONAM **Is 49,7**

Reges videbunt et consurgent principes et adorabunt Dominum qui fidelis est et Sanctum Israël qui elegit te.

[Brev. Rom.]

1055 AD 2 VESPERAS **Act 13,23-25**

Deus ex semine David secundum promissionem eduxit Israël Salvatorem Iesum, praedicante Ioanne ante faciem adventus eius baptismum paenitentiae omni populo Israël. Cum impleret autem Ioannes cursum suum, dicebat: Quem me arbitramini esse, non sum ego; sed ecce venit post me, cuius non sum dignus calceamenta pedum solvere.

Die 29 iunii

Sanctorum Petri et Pauli, Apostolorum

1056 AD I VESPERAS **1 Cor 1,27-29**

Quae stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes, et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia; et ignobilia mundi et contemptibilia elegit Deus et ea quae non sunt, ut ea quae sunt destrueret, ut non glorietur omnis caro in conspectu eius.

1057 Ad Laudes **Act 15,7-9**

Deus elegit per os meum audire gentes verbum Evangelii et credere: et qui novit corda Deus testimonium perhibuit, dans illis Spiritum sanctum sicut et nobis, et nihil discrevit inter nos et illos, fide purificans corda eorum.

1058 Ad Tertiam **1 Tim 1,12-13**

Gratias ago ei qui me confortavit, Christo Iesu Domino nostro, quia fidelem me existimavit ponens in ministerio, qui prius blasphemus fui et persecutor et contumeliosus, sed misericordiam Dei consecutus sum.

1059 Ad Sextam **1 Tim 1,14-15**

Superabundavit gratia Domini nostri Iesu Christi cum fide et dilectione quae est in Christo Iesu. Fidelis sermo et omni acceptione dignus, quod Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum.

1060 Ad Nonam **2 Tim 4,7-8**

Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. In reliquo reposita est mihi corona iustitiae quam reddet mihi iustus iudex, non solum autem mihi, sed et iis qui diligunt adventum eius.

1061 Ad 2 Vesperas **1 Cor 15,3-5.8**

Tradidi vobis in primis quod et accepi: quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris secundum Scripturas et quia sepultus est et quia resurrexit tertia die secundum Scripturas; et quia visus est Cephae et post hoc undecim. Novissime autem omnium visus est et mihi.

1061a-e *Die* 26 *iulii.* SS. Ioachim et Anna, parentum B.M.V.
Cf. pag. 320.

Die 6 augusti

In Transfiguratione Domini

1062 Ad 1 Vesperas **Phil 3,20-21**

Nostra conversatio in caelis est, unde etiam salvatorem exspectamus Dominum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suae, secundum operationem qua etiam possit subicere sibi omnia.

[Cf. Brev. Rom.]

1063 AD LAUDES **Ap 21,10.23**

Sustulit me Angelus in spiritu in montem magnum et altum, et ostendit mihi civitatem sanctam Ierusalem, descendentem de caelo a Deo. Et civitas non eget sole neque luna, ut luceant in ea: nam claritas Dei illuminavit eam, et lucerna eius est Agnus.

[Cf. Brev. Rom.]

1064 AD TERTIAM **Ex 19,9**

Ait Dominus ad Moysen: Iam nunc veniam ad te in caligine nubis, ut audiat me populus loquentem ad te, et credat tibi in perpetuum.

1065 AD SEXTAM **Ex 33,9.11**

Ingresso Moyse tabernaculum foederis, descendebat columna nubis; et stabat ad ostium, loquebaturque cum Moyse. Loquebatur autem Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum.

1066 AD NONAM **2 Cor 3,18**

Nos omnes revelata facie gloriam Dei speculantes, in eandem imaginem transformamur a claritate in claritatem, tamquam a Domini spiritu.

[Brev. Rom.]

1067 AD 2 VESPERAS **Rom 8,16-17**

Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro quod sumus filii Dei; si autem filii, et heredes: heredes quidem Dei, coheredes autem Christi, si tamen compatimur, ut et conglorificemur.

Die 15 augusti

In Assumptione beatae Mariae Virginis

1068 AD I VESPERAS **Rom 8,30**

Quos Deus praedestinavit, hos et vocavit; et quos vocavit, hos et iustificavit; quos autem iustificavit, illos et glorificavit.

1069 AD LAUDES **Is 61,10**

Gaudens gaudebo in Domino et exsultabit anima mea in Deo meo, quia induit me vestimentis salutis et indumento iustitiae circumdedit me, quasi sponsam ornatam monilibus suis.

1070 AD TERTIAM **Idt 13,22-23**

Benedixit te Dominus in virtute sua, quia per te ad nihilum redegit inimicos nostros. Benedicta es tu, filia, a Domino Deo excelso prae omnibus mulieribus super terram.

[Brev. Rom.]

1071 AD SEXTAM **Idt 13,24-25**

Benedictus Dominus qui hodie nomen tuum ita magnificavit ut non recedat laus tua de ore hominum.

1072 AD NONAM **2 Cor 5,1**

Scimus quoniam, si terrestris domus nostra huius habitationis dissolvatur, aedificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, aeternam in caelis.

1073 AD 2 VESPERAS **1 Cor 15,22-23**

Sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes vivificabuntur, unusquisque autem in suo ordine: primitiae Christus, deinde ii qui sunt Christi.

Die 8 septembris
In Nativitate beatae Mariae Virginis

1074 AD LAUDES **Is 11,1-3**

Egredietur virga de radice Iesse, et flos de radice eius eius ascendet, et requiescet super eum spiritus Domini: spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiae et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini.

1075 AD TERTIAM **Eccli 24,24-25**

Ego mater pulchrae dilectionis et timoris et agnitionis et sanctae spei. In me gratia omnis viae et veritatis, in me omnis spes vitae et virtutis.

1076 AD SEXTAM **Idt 13,24-25**

Benedictus Dominus qui creavit caelum et terram, quia hodie nomen tuum ita magnificavit, ut non recedat laus tua de ore hominum, qui memores fuerint virtutis Domini in aeternum.

1077 AD NONAM **Ap 21,3**

Ecce tabernaculum Dei cum hominibus et habitabit cum eis; et ipsi populus eius erunt et ipse Deus cum eis erit eorum Deus.

1078 AD VESPERAS **Rom 9,4-5**

Sunt Israelitae quorum adoptio est filiorum et gloria et testamentum et legislatio et obsequium et promissa; quorum patres et ex quibus est Christus secundum carnem qui est super omnia Deus benedictus in saecula. Amen.

Die 14 septembris

In Exaltatione sanctae Crucis

1079 AD I VESPERAS

Sicut in 2 Vesperis.

1080 AD LAUDES **Hebr 2,9-10**

Videmus Iesum propter passionem mortis gloria et honore coronatum, ut gratia Dei pro omnibus gustaret mortem. Decebat enim eum, propter quem omnia, et per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummare.

1081 AD TERTIAM **1 Cor 1,23-24**

Praedicamus Christum crucifixum, Iudaeis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam; ipsis autem vocatis, Iudaeis atque Graecis, Christum Dei virtutem et Dei sapientiam.

1082 AD SEXTAM **Eph 1,7-8**

In Christo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum, secundum divitias gratiae eius, quae superabundavit in nobis.

1083 AD NONAM **1 Petr 1,18-19**

Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paternae traditionis: sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi et incontaminati.

1084 AD 2 VESPERAS **Phil 2,7-9**

Christus semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus et habitu inventus ut homo. Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen quod est super omne nomen.

1084a-f *Die* 29 *septembris*. SS. Michaëlis, Gabrielis et Raphaëlis, archangelorum. Cf. pag. 320.

1084g-k *Die* 2 *octobris*. SS. Angelorum Custodum. Cf. pag. 321.

Die 1 novembris

Omnium Sanctorum

1085 AD 1 VESPERAS **Hebr 12,22-24a**

Accessistis ad Sion montem et civitatem Dei viventis, Ierusalem caelestem, et multorum millium angelorum frequentiam, et Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in caelis, et iudicem omnium Deum, et spiritus iustorum perfectorum, et testamenti novi mediatorem Iesum, et sanguinis aspersionem melius loquentem quam Abel.

1086 AD LAUDES **Eph 1,17-18**

Deus, Domini nostri Iesu Christi pater gloriae, det vobis spiritum sapientiae et revelationis in agnitione eius: illuminatos oculos cordis vestri, ut sciatis quae sit spes vocationis eius, et quae divitiae gloriae hereditatis eius in sanctis.

1087 AD TERTIAM **Dan 7,21-22**

Cornu maius bestiae faciebat bellum adversus sanctos et praevalebat eis, donec venit antiquus dierum, et iudicium dedit sanctis Excelsi; et tempus advenit et regnum obtinuerunt sancti.

1088 AD SEXTAM **2 Cor 6,16**

Inhabitabo in illis et inambulabo inter eos, et ero illorum Deus, et ipsi erunt mihi populus.

1089 AD NONAM **Is 65,17-18**

Ecce ego creo caelos novos et terram novam; et non erunt in memoria priora et non ascendent super cor.

1090 AD 2 VESPERAS **1 Petr 1,15-16**

Secundum eum qui vocavit vos, Sanctum: et ipsi in omni conversatione sancti sitis, quoniam scriptum est: Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum.

1090a-e *Die 2 novembris.* In Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum. Cf. pag. 322

Die 9 novembris

In Dedicatione Basilicae Lateranensis

1091 AD I VESPERAS **Eph 2**,19-22

Iam non estis hospites et advenae, sed estis cives sanctorum et domestici Dei, superaedificati super fundamentum apostolorum et prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu; in quo omnis aedificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino, in quo et vos coaedificamini in habitaculum Dei in Spiritu.

1092 AD LAUDES **1 Petr 2**,4-5

Ad Dominum accedentes lapidem vivum, ab hominibus quidem reprobatum, a Deo autem electum et honorificatum, et ipsi tamquam lapides vivi superaedificamini, domus spiritualis, sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias, acceptabiles Deo per Iesum Christum.

1093 AD TERTIAM **1 Cor 3**,16-17

Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.

1094 AD SEXTAM **1 Cor 6**,19-20

Nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti qui in vobis est, quem habetis a Deo, et non estis vestri? Empti enim estis pretio magno. Glorificate et portate Deum in corpore vestro.

1095 AD NONAM **Ier 7**,2b.-4-5a.7a

Audite verbum Domini, qui ingredimini per portas has ut adoretis Dominum. Nolite confidere in verbis mendacii, dicentes: Templum Domini, templum Domini, templum Domini est! Quoniam si bene direxeritis vias vestras et studia vestra, habitabo vobiscum in loco isto.

1096 AD 2 VESPERAS **Ap 21**,2-3.22.27

Vidi sanctam civitatem, Ierusalem novam, descendentem de caelo a Deo, paratam sicut sponsam ornatam viro suo. Et audivi vocem magnam de throno dicentem: Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis; et ipsi populus eius erunt, et ipse Deus cum eis erit eorum Deus. Et templum non vidi in ea: Dominus enim Deus omnipotens templum illius est, et Agnus. Non intrabit in eam aliquod coinquinatum, aut abominationem faciens et mendacium, nisi qui scripti sunt in libro vitae Agni.

VIII. COMMUNIA

In Dedicatione ecclesiae

1097 AD I VESPERAS **Eph 2,19-22**

Iam non estis hospites et advenae, sed estis cives sanctorum et domestici Dei, superaedificati super fundamentum apostolorum et prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu; in quo omnis aedificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino, in quo et vos coaedificamini in habitaculum Dei in Spiritu.

1098 AD LAUDES **Is 56,7**

Adducam eos in montem sanctum meum et laetificabo eos in domo orationis meae; holocausta eorum et victimae eorum placebunt mihi super altari meo, quia domus mea domus orationis vocabitur cunctis populis.

1099 AD TERTIAM **1 Cor 3,16-17**

Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.

1100 AD SEXTAM **2 Cor 6,16**

Vos estis templum Dei vivi, sicut dicit Deus: Quoniam inhabitabo in illis, et inambulabo inter eos; et ero illorum Deus, et ipsi erunt mihi populus.

1101 AD NONAM **Ap 3,12**

Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei, et foras non egredietur amplius; et scribam super eum nomen Dei mei, et nomen civitatis Dei mei, novae Ierusalem quae descendit de caelo a Deo meo et nomen meum novum.

1102 AD 2 VESPERAS **Hebr 12**,22-24

Accessistis ad Sion montem et civitatem Dei viventis, Ierusalem caelestem et multorum millium angelorum frequentiam et ecclesiam primitivorum qui conscripti sunt in caelis, et iudicem omnium Deum et spiritus iustorum perfectorum et testamenti novi mediatorem Iesum et sanguinis aspersionem melius loquentem quam Abel.

In festis beatae Mariae Virginis

1103 AD I VESPERAS

Sicut in 2 Vesperis

1104 AD LAUDES **Is 61**,10

Gaudens gaudebo in Domino et exsultabit anima mea in Deo meo, quia induit me vestimentis salutis et indumento iustitiae circumdedit me, quasi sponsam ornatam monilibus suis.

1105 AD TERTIAM **Idt 13**,22-23

Benedixit te Dominus in virtute sua, quia per te ad nihilum redegit inimicos nostros. Benedicta es tu, filia, a Domino Deo excelso prae omnibus mulieribus super terram.

[Brev. Rom.]

1106 AD SEXTAM **Idt 13**,24-25

Benedictus Dominus qui hodie nomen tuum ita magnificavit, ut non recedat laus tua de ore hominum.

1107 AD NONAM **Idt 13**,31

Benedicta tu a Deo tuo in omni tabernaculo Iacob, quoniam in omni gente quae audierit nomen tuum magnificabitur super te Deus Israel.

1108 AD 2 VESPERAS **Gal 4**,4-5

Ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus.

Commune Apostolorum

1109 AD I VESPERAS **Act 2,42-45**

Erant omnes perseverantes in doctrina apostolorum et communicatione fractionis panis et orationibus. Fiebat autem omni animae timor. Multa quoque prodigia et signa per apostolos in Ierusalem fiebant, et metus erat magnus in universis. Omnes etiam qui credebant erant pariter et habebant omnia communia: possessiones et substantias vendebant et dividebant illa omnibus, prout cuique opus erat.

1110 AD LAUDES **Eph 2,19-20**

Fratres: Iam non estis hospites et advenae, sed estis cives sanctorum et domestici Dei, superaedificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu; in quo omnis aedificatio constructa crescit in templum sanctum Domino; in quo et vos coaedificamini in habitaculum Dei in Spiritu.

[Cf. Brev. Rom.]

1111 AD TERTIAM **2 Cor 5,19b-20**

Posuit in nobis Deus verbum reconciliationis. Pro Christo ergo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo: reconciliamini Deo.

1112 AD SEXTAM **Act 5,12a.14**

Per manus Apostolorum fiebant signa et prodigia multa in plebe. Magis autem augebatur credentium in Domino multitudo virorum ac mulierum.

[Brev. Rom.]

1113 AD NONAM **Act 5,41-42**

Ibant Apostoli gaudentes a conspectu concilii quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati. Omni autem die non cessabant in templo et circa domos docentes et evangelizantes Christum Iesum.

[Cf. Brev. Rom.]

1114 AD 2 VESPERAS **Eph 4,11-13**

Christus dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores, ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in aedificationem Corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei et agnitionis Filii Dei in virum perfectum in mensuram aetatis plenitudinis Christi.

Commune Martyrum

I Tempore paschali

1116 AD I VESPERAS **Apoc 3,10-12**

Quoniam servasti verbum patientiae meae, et ego servabo te ab hora tentationis quae ventura est in orbem universum tentare habitantes in terra. Ecce venio cito: tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam. Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei, et foras non egredietur amplius; et scribam super eum nomen Dei mei et nomen civitatis Dei mei, novae Ierusalem, quae descendit de caelo a Deo meo et nomen meum novum.

1117 AD LAUDES **Sap 5,1-5**

Stabunt iusti in magna constantia adversus eos qui se angustiaverunt et qui abstulerunt labores eorum. Videntes turbabuntur timore horribili et mirabuntur in subitatione insperatae salutis; dicentes intra se paenitentiam agentes et prae angustia spiritus gementes: Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum et in similitudinem improperii: nos insensati vitam illorum aestimabamus insaniam et finem illorum sine honore: ecce quomodo computati sunt inter filios Dei et inter sanctos sors illorum est.

1118 AD TERTIAM **1 Petr 5,10-11**

Deus omnis gratiae, qui vocavit nos in aeternam suam gloriam in Christo Iesu, modicum passos ipse perficiet, confirmabit solidabitque. Ipsi gloria et imperium in saecula saeculorum. Amen.

1119 AD SEXTAM **Ap 2,10-11**

Nihil horum timeas quae passurus es. Ecce missurus est diabolus aliquos ex vobis in carcerem ut tentemini, et habebitis tribulationem diebus decem. Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitae.

1120 AD NONAM **Ap 3,21**

Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo; sicut et ego vici et sedi cum Patre meo in throno eius.

1121 AD 2 VESPERAS **Ap 7,14-17**

Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna et laverunt stolas suas et dealbaverunt eas in sanguine Agni. Ideo sunt ante thronum Dei et serviunt ei die ac nocte in templo eius, et qui sedet in throno habitabit super illos. Non esurient neque sitient amplius, nec cadet super illos sol, neque ullus aestus, quoniam Agnus qui in medio throni est reget illos et deducet eos ad vitae fontes aquarum, et absterget Deus omnem lacrimam ab oculis eorum.

II Extra tempus paschale

Pro uno sancto martyre aut una sancta martyre

1122 AD I VESPERAS **Rom 8,35.37-39**

Quis nos separabit a caritate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas an periculum? an persecutio? an gladius? Sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos. Certus sum enim quia neque mors neque vita neque angeli neque principatus neque virtutes neque instantia neque futura neque fortitudo neque altitudo neque profundum neque creatura alia poterit nos separare a caritate Dei quae est in Christo Iesu Domino nostro.

1123 AD LAUDES **2 Cor 1,3-7**

Benedictus Deus et Pater Domini nostri Iesu Christi, Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, ut possimus et ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt, per exhortationem qua exhortamur et ipsi a Deo; quoniam sicut abundant passiones Christi in nobis, ita et per Christum abundat consolatio nostra. Sive autem tribulamur pro vestra exhortatione et salute, sive consolamur pro vestra consolatiaone, sive exhortamur pro vestra exhortatione et salute quae operatur tolerantiam earundem passionum quas et nos patimur: ut spes nostra firma sit pro vobis, scientes quod, sicut socii passionum estis, sic eritis et consolationis.

AD TERTIAM

1124 *Pro uno sancto martyre* **Iac 1,12**

Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit accipiet coronam vitae, quam repromisit Deus diligentibus se.

